1

MATTHIAE BELII
DE
VETERE
LITTERATVRA
HVNNO-SCYTHICA
EXERCITATIO.

Bibliothecae Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIPSIAE.

APVD PETR. CONR. MONATH,

BIBLIOPOLAM NORIBERGENSEM.

MDCCXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

Summe Reuerendo, Excellentiſſimo

DANIELI ERNESTO IABLONSKI

S. Theolog. Doct.

REGIAE MAIESTATI PRVSSIAE
A SACRIS SOCIETATIS SCIENTIARVM
DIRECTORI AC PROPRAESIDI, ECCLESIARVM
VNIT. FFRR. PER POLONIAM MAIOREM, ET
PRVSSIAM, SENIORI SPECTA-
TISSIMO.

S. P. D.

MATTHIAS BEL.

POtuit hoc apud me, ſingularis illa **TVA** humanitas, qua ante hos decem annos, & quod excurrit, in regia vrbe

Digitized by Google

VESTRA tunc præſentem, excepiſti, vt eo procederem audaciæ, quo me iam vides progreſſum. Et profecto, niſi conſtaret mihi, de TVA in eos voluntate, qui ſuo quisque loco, rem litterariam nituntur illuſtrare, vterer excuſatione, quod celeberrimum nomen TVVM, temerare ſim auſus. Siue enim me ipſum ſpectem, nullo meo merito, ſed TVA ſolius beniuolentia, TIBI innotui; ſiue æſtimem exercitationem, quam TIBI nunc ſacram dico, tenuis eſt, & de argumento cum peregrino, tum inaudito hucusque, concepta: fatear oportet, non carere inſtitutum audacia; eo forte minus ferenda, quo maius inter auctorem, & cui ea inſcribitur, diſcrimen intercedit. At enimvero, necquidquam iſto mihi apud TE excuſationis genere opus eſſe, vel ex eo facile intelligo, quod & in gentem noſtram propenſior hucusque fuiſti, & de TVA erga me voluntate, ſemel iterumque teſtatus es. Accipe igitur, VIR CELEBERRIME, iſtud qualecunque obſeruantiæ, qua TE colo, pignus atque documentum, TIBI-

QVE

Digitized by Google

QVE penitus perſuade, cum ſint ſub ſole noſtro, qui TE obſeruent, laudent, ſuſpiciant, me in his, TVI cultu, nulli vnquam ceſſurum. Optime & per multum tempus vale, conatusque meos, illuſtrandæ patriæ, vti vides, cauſſa ſuſceptos, TIBI commendatos habe. PISONII Nonis Sept. MDCCXVIII.

X 3 Ad

Digitized by Google

❋ ❋ ❋

Ad Lectorem.

EXhibeo TIBI, Lector beniuole, partem aliquam hiſtoriæ linguæ Hungaricæ, quam ante quinquennium, publici me iuris facturum receperam. Multa vero intercesſiſſe ſcias, quæ adfecto operi, ſufflamen interea poſuerunt. nam & priſtinus mihi locus, cum hoc, quem nunc teneo, necquidquam tale opinanti permutandus, & quod ex iſta rerum mearum conuerſione eſt conſecutum, ad nouas prorſus operas, cura atque ſtudium fuit adplicandum. neque hucdum ſatis me expeditum video. Quidquid huius rei ſit, ſtandum eſt promiſſis! quod vt eo poſſim facilius, animum induxi, carptim, quæ maturuerint, TECVM, L. B. communicare. Interea præſtolabor iudicium TVVM. hoc enim aut in coepto opere penitus me confirmabit, aut ex manibus id mihi prorſus excutiet. Iam vale, deſtinationi huic meæ faue, atque, ſi Deus voluerit, & vixerimus, *Notitiam Hungariæ antiquæ, mediæ & nouæ* a nobis, ſuo tempore, exſpecta.

Digitized by Google

בשש״

De

VETERE LITTERATVRA HVNNO-SCYTHICA.

Sectio Prima

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ'.

De litterarum origine generatim.

Synopſis.

Plinii & Iudæorum de litterarum origine error. §. I.

Adamus primus litterarum parens. §. II.

Ante diluuium character duplex, Alphabetarius & Symbolicus. §. III.

Hebraicum Alphabetum primæuum eſſe cenſetur. §. IV.

Eius poſt diluuium propagatio & enata litterarum varietas. §. V.

Gentium reliquarum characteres cum inuenti, tum abrogati. §. VI.

§. I.

DE litterarum primis natalibus, non vna omnium eſt opinio. PLINIVS certe, naturæ arcanorum ſcrutator eximius, æternum litterarum vſum fuiſſe, contendit, Lib. VII. Hiſt. Nat. c. 56. nec mirum, cum & mundum, ethnica inductus cæcitate, æternum eſſe crediderit. Ita enim Lib. II. c. I. ſcribit: *Mundum, & hoc, quodcunque nomine alio cælum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, numen eſſe, credi par eſt, æternum, immenſum, neque genitum, neque interiturum vnquam, huius extera indagare, nec intereſt hominum, nec capit humanæ con-*

Digitized by Google

iectura mentis. Sacer eſt, æternus, immenſus, totus in toto, immo vero ipſum totum. Sed FRANCISCVS SACCHINVS in Protreptico cap. III. Pliniani erroris hanc reddit cauſſam: *Inuentorem* Plinius *cum inueniret nullum, quo non vetuſtior proderetur; apparere inde concludit, æternum litterarum vſum. nequaquam id ego dixerim, quia nec mundus æternus eſt.* Profanam hanc, & dignam, quæ ab auctore ethnico profecta ſit, de æterno litterarum vſu, opinionem, reformatum iuit IACOBVS SALIANVS, Tom. I. Annal. Eccleſ. p. 119. *Ita*, inquit, *licuerit dicere, mundi ortum, & eius auctorem ignoranti; rectius dicturo, ſi æternam litterarum ſcientiam, apud æternum Deum fuiſſe dixiſſet, eamque poſtea eius benignitate communicatam mortalibus.* Sed Plinius vix ſibi conſtat, quippe qui Lib. V. c. 12. litterarum initia ad Phœnices retulit: *Ipſa gens*, inquit, *Phœnicum in gloria magna eſt inuentionis litterarum, & ſiderum, naualiumque ac belli artium.* Taceo eodem ipſo Lib. VII. c. 56. quo æternas dixerat litteras, ſui ipſius quaſi immemorem ſerio adfirmare: *Litteras*, inquit, *ſemper arbitror ego Aſſyrias fuiſſe.* tanta auctoris optimi ſane hallucinatio eſt. Sed nihilo melior Iudæorum quorundam ſententia eſt, qui abiurata veritate, præter figmentorum immane quoddam תוהו ובוהו, vix aliquid ſani habent reſiduum. Fabulantur hi, teſte CAPNIONE de Arte Cabal. Lib. III. ex quo procul omni dubio, B. CHEMNITIVS in Exam. C. T. de S. Script. p. m. 17. mutuatus eſt: *Quod lex ante conditionem mundi ſcripta fuerit litteris igneis nigris, in dorſo ignis candidi.* Si enim ignem volunt elementarem, vbi ille ante creationem exſtitit? ſin myſticum aliquem, aut ænigmaticum, habebunt dignum patella operculum, ſcilicet, putido cerebro figmentum putidius. Plures eorum delirationes, qui legere volet, habebit l. c. p. m. 750. edit. Vechelianæ M D CIII, quæ eſt adnexa P. Galatini de Arcan. Cathol. Ver. L. XII.

§. II.

Sed mittamus iſtos ineptiarum patronos: longe veroſimilior eorum eſt ſententia, qui Adamum, vti generis humani, ita littera-

rum

Digitized by Google

rum quoque parentem, exſtitiſſe credunt. Multa hanc in rem habet BANGIVS, D. & Profeſſor regius Haffnienſ. in Cælo orient. exercit. I. qu. 3. p. m. 6. reliquis. quæ inter placent verba iam laudati FRANC. SACCHINI in Protrept. *Adam, poſtquam ſagaciter vocis ſonos abſonos, & infinitos, certis terminarat modis, & ſua nomina rebus impoſuerat, inſuper rationem adinueniſſe cenſeri poteſt, qua fugacibus ac inſpectabilibus vocibus, indumenta quædam & vincula iniiceret, per quæ & oculis, tantum non manibus, tenerentur, miraculo ſane, quanto magis admirere, tanto magis admirabili.* At vero ſunt, qui abſonum putent, Adamum primum litteraturæ inuentorem ſtatuere velle; eo quod *Pythagoras, Plato, Cicero,* aliique, earum originem, ad cæleſtem, diuinumque animum referant: cum contra ea, Adamus, apoſtata factus a Deo, ſemetipſum, ac vniuerſum genus humanum, a ſummo & incomparabilis gloriæ, eminentiæ, ſcientiæ, atque perfectionis culmine, velut humi præcipitauit, in abſtruſiſſimum infamiæ, ignorantiæ & imperfectionis antrum: hinc non eſſe, quod quis felici ὀνοματοθεσίᾳ, cujus facultate perfectiſſima ante lapſum claruerit Adamus, ἱστορίαν καὶ εὑρετικὴν γραμμάτων δύναμιν eius poſt lapſum, metiatur. Enimuero, licet intimam facultatum primi parentis deprauationem, nihil reluctantes, admittamus, perſuaderi tamen haud poſſumus, *Adamum, cum per nouem ſecula,* verba SACCHINI mea facio, *in illo vere mundi, eaque viuacitate ac fœcunditate integri ſanguinis, dum gentes vbique populatim germinarent, iamque proſeminatas a ſe nationes, refertasque natis natorum, ſeque in vniuerſis & ſingulis, non ſolum tamquam viuis imaginibus expreſſum, ſed etiam propaginibus multiplicatum cerneret; non ipſam naturæ vim & dulciſſimum erga ſobolem & ingenioſiſſimum impetum exſtimulaſſe, qua cara ſibi pignora, ſeque illis identidem ſiſteret: quinimmo potius in eam ſententiam vocor, ipſam neceſſitatem, vt tentaret Adam aliquid & inchoaret, ſuggerere eidem potuiſſe; ipſam nongentorum, eoque amplius annorum ætatem, per quam exercitus, eruditus, conſummatus, denique maximus veterator*

Digitized by Google

effectus eſt, quemuis hebetem exacuere & quemvis torpidum excitare debuiſſe. Cui & illud accedit, Adamum, diuinæ gratiæ auxiliis reſtitutum eluctatumque fuiſſe, ad diuinæ imaginis, quam perdiderat, inſtaurationem, ſaltem, vt vocant, inchoatam. Tum vero demum, haud otioſum egit naturæ ſpectatorem, quin potius, diuina iterum luce colluſtratus, ſollicite curauit ea, quæ ad leniendam poſterorum miſeriam, & corporis atque animæ beatitatem promouendam, facerent; quarum quidem rerum haud poſtremam fuiſſe litterarum notitiam ac vſum, palam eſt: vtut, non omnes ſimul characteres inuentos ab Adamo fuiſſe, verum nouis ſubinde acceſſionibus creuiſſe eosdem, vltro lubenterque largiamur. Confer omnino PETRI LAMBECII Prodrom. Hiſt. Lit. Lib. I. c. II. §. 3. ſeq.

§. III.

Ceterum, curate hic, cum de litterarum inuentoribus agimus, diſpiciendum, ne, quod Celeb. D. LÖSCHERVS in Tract. de Cauſſ. Ling. Hebr. Lib. II. c. I. p. 219. & ante eum ANDREAS SENNERTVS in Exercit. Critico-Philol. p. m. 11. atque STEPH. MORINVS Exercit. de Lingva prim. P. I. c. IV. p. 14. ſeq. c. V. p. 21. ſeq. monuerunt, *characteres Symbolicos, Emblematicos* ſeu *Hieroglyphicos*, cum *litteris* confundamus; quod quidem diſcrimen, perperam neglexit, laudatus BANGIVS: *illi* enim res atque conceptus, vti apud Aegyptios olim, & Chinenſes hodienum fit; *hæ* voces, ſyllabas, & earum prima elementa, articulate repræſentant. Vtrumque *Symbolicum* & *Alphabetarium* characterem, Adamum reperiſſe, nihil video, quod me iubeat ambigere. Potuit tamen character ſymbolicus, quippe rudior, Alphabetario occaſionem præbuiſſe, qui demum plurium ſeculorum vſu excultus, frequentari cœpit familiarius. Jam vt antediluuianos reliquos, idem litteraturæ genus vſurpauiſſe, ſtatuam, rationes chronologiæ rite ſubductæ, ſuadent omnino. Certe *Seth*, *Enoſch*, *Kenan*, *Mahalael*, *Iered*, *Chanoch*, *Metuſalach* atque *Lemech*, eadem periodo temporis, cum *Adamo*, primo ſuo parente, vixerunt: (vide ſis incomparabilis

Digitized by Google

bilis PETRI LAMBECII Tabb. Chronogr. Vniuerſalis ad Prodrom. Hiſt. Lit. pertinentes;) qui & acceptam ab eo rem litterariam, tamquam κειμήλιον pretioſiſſimum, ad poſteros fideliter propagarunt. Quod vt porro doceam, nihil *Libro Henochi*, quem alioqui litteraturæ antediluuianæ patroni in ſcenam producere conſueuerunt, opus eſſe reor; cum liquidius longe, veroque ſimilius ratiocinium ſuppeditent, temporum ſcilicet, annorum, menſium, hebdomadarum, in primis vero ſabbathorum rationes accuratæ, quæ tot ſeculorum lapſu, adſervari vix ac ne vix quidem potuiſſent, ſine vllo litterarum, characterum ac notularum quarumcunque miniſterio. Nam vtut longæuitatem Patriarcharum, cum dono θεοπνευςίας, mederi litterarum defectui potuiſſe; atque adeo, quot in viuis patres, tot viua quaſi volumina exſtitiſſe, lubens concedam; neque præterea inficiari velim, ampliorem tunc viuæ vocis, quam ſcripturæ fuiſſe vſum: non tamen video ea propter, iure omnem litteraturæ laudem antediluuianis hominibus poſſe adimi. ſaltem, vt quandam velut litterarum infantiam iis largiamur, ratio ſuadet, & conſueta circa rerum primordia, ruditas, quam deinde cura & iugis exercitatio acuit, nouisque auget acceſſionibus, vt ad vſus transferri queat auguſtiores.

§. IV.

Quemadmodum autem vnam, primæuam, genuinam Linguam ante confuſionem Babilonicam, ipſumque adeo diluuium, Hebræam fuiſſe, ſuo loco, pro inſtituti ratione, docebimus; ita vnum verum, genuinum, primæuum, Diuinum, Adamicum & Patriarchale iſtud alphabetum, non aliud, quam Hebræum, minimum prima eius ſtamina, atque rudes lineas, fuiſſe, audaciter adſerimus. neque contrarium vt ſtatuamus, magna ſummorum virorum nomina & auctoritas, nos permouere poteſt. Repudiamus ergo Alphabetum illud *Adamæum*, quod diverſum ab Hebræo, maiori apparatu, quam veroſimilitudine finxit BONAVENTVRA HEPBVRNVS, in *aurea*, vt vocat, *virga*; cumque eo DVRETVS,

 qui

qui falſò ſcribit, Angelum Raphaelem, priuatum Adami præceptorem exſtitiſſe, eique furto e paradiſo ſublatum Alphabetum. Reiicimus *Samaritanum* & *Cuthæum*, pro cuius primæua antiquitate pugnant WALTONVS & MORINVS: Alphabetum *Sethi*, quod ANGELVS ROCCHA, e duabus columnis, lateritia altera, altera ærea, de quibus IOSEPHVS Lib. I. Antiq. Iud. exſculpere nititur: Alphabetum præterea *Henochi*, quale vulgauit PANTHEVS & DVRETVS: tum & Alphabetum *Noachi*, quod iterum mira ingenii fœcunditate HEPBVRNVS finxit: reiicimus denique Alphabetum *Cæli*, *Siderum* atque *Stellarum*, quale commenti ſunt CORNELIVS AGRIPPA, & GAFARELLVS, &c. quorum cum omnium, tum ſingulorum errores operoſe excuſſit laudatus BANGIVS, ad quem Lectores noſtros, & minutiarum amantes, vti litteratam eſuriem expleant, dimittimus conſulto.

§. V.

Iam quod ad illam temporum ſeriem adtinet, quæ diluuium, & linguarum deinde confuſionem excepit, huic vero largior litterarum ſeges tribui & debet, & poteſt ſane. Cum enim iam tum minui ætatis humanæ viuacitas, adaugeri contra artium ſtudia occepiſſent, litterarum opus fuit miniſterio. Atque tunc NOACHVM earundem, non inuentorem quidem, ſed conſeruatorem, iure meritoque dixero; quippe qui conſeruato ac propagato in vniuerſum terrarum orbem genere humano, litterarum quoque vſum, Alphabetarium & Symbolicum, vna cum eo propagaſſe cenſendus eſt. Ita vero ſubductis rationibus exiſtimo, confuſa ad turrim Babilonicam lingua illa primæua (qua de re mentem meam alibi promam liberius) & ſubnatis aliis, numero pene infinitis, ſimplicem quoque & primogeneam litteraturam in varia abiuiſſe Alphabeta: gloria iterum antiquitatis intemeratæ Hebraicum penes characterem, permanente; quem procedente tempore, auctore ipſo Deo, legem ſuper tabulis lapideis digito ſcribente, Moſes conſecrauit, & quum vſus adhuc eſſet minus frequentioris, in libros, diuinitus iuſſus, retulit, publicique iuris fecit: id quod cum multi alii, tum maxime Io. BVXTORFIVS in Diſſertatione de Litteris Hebræo-

Digitized by Google

Hebræorum, & ante eum GVILIELMVS POSTELLVS Libro de originibus, cap. V. prolixe docuerunt: quidquid in contrariam partem adſerat, LVDOVICVS CAPELLVS, in Diatriba de Veris & Antiquis Hebr. Litteris, *Buxtorfio* oppoſita. Et huc ego, quod profanorum auctorum paginæ de litterarum primis inuentoribus, memoriæ prodiderunt, exiſtimo referendum. vt adeo fruſtra ſint, qui vel *Aegyptios* vel *Phœnices*, vel *Aſſyrios*, vel *Chaldæos, vel Aethiopes*, vel denique *Saturnum*, *Mercurium Triſmegiſtum*, *Linum*, *Cecropem*, *Cadmum*, *Pythagoram*, *Palamedem*, *Simonidem*, primas litteras condidiſſe adfirmant. Eadem enim diuerſorum Alphabetorum origo, quæ Linguarum exſtitit, cenſenda eſt. quod ſi admiſeris, ſuorum illi characterum inuentores, non vero primæuæ conditores litteraturæ, haberi poterunt. Enimuero, neminem, niſi ignarum fabuloſæ antiquitatis gentilium, atque ſacræ hiſtoriæ incurioſum, fugere poteſt, ſub fabellarum inuolucris, quas deficiente hiſtoria, ſubinde fingunt ſcriptores Græci, ſæpe diuiniora *Adami*, *Sethi*, *Noachi*, *Abrahami*, *Moſis* &c. nomina occulta latere. qua in re peruestiganda, multam locauit operam, PETRVS DANIEL HVETIVS in Demonſtr. Evangel. Propos. IV. c. III. ſeqq. Procliue igitur hinc fuerit iudicare, de veritate verſiculorum, apud PETRVM CRINITVM, Lib. XVII. de hon. diſcip. quos ille in peruetuſto codice ſe refert legiſſe.

MOYSES *primum* Hebraicas *exarauit litteras;*

ſeu, vt verſum hunc emendat, doctiſſimus VOSSIVS de arte Gram. Lib. I. c. IX. & ex eo LAMBECIVS Prodomo Hiſt. Lit. Lib. I. c. V. p. 45.

Primus Hebræas MOYSES *exarauit litteras;*
Mente PHOENICES *ſagaci*, *condiderunt* Atticas;
Quas Latini *ſcriptitamus*, *edidit* NICOSTRATA;
ABRAHAM Syras, *& idem reperit* Chaldaicas;
ISIS *arte non minori protulit* Aegyptias;
GVLFILA *promſit* Getarum, *quas videmus vltimas.*

Obiter moneo, hæſiſſe auctori verſiculorum, opinionem illam *Syras* & *Chaldæas* litteras, *Hebraicis* antiquiores eſſe: harum enim

Digitized by Google

enim inuentorem MOYSEN, illarum vero ABRAHAMVM, 400. fere annis ante, conſtituit. Ceteroquin legeſis, quæ de litterarum inuentoribus collegit, POLYDOR. VIRGIL. VRBIN. de Rerum Inuent. Lib. I. c. VI. atque non ita pridem GVIRIELMVS NICOLS, A. M. Libris Sex de Litt. inuentis, ad Illuſtrisſimum Principem THOMAM HERBERTVM, Pembrockiæ Comitem, carmine pro materiæ ratione, ſatis quidem terſo, commentatus eſt. Vid. Act. Erudit. Lipſ. A. 1712. m. Iun. p. 253. ſeq.

§. VI.

Sed reliquas deinde gentes nationesque, ætate recentiori, nouas inueniſſe, condidiſſeque litteras, certum eſt & exploratum. *Gothis* ſane CORDANVS Epiſcopus litteras fertur tradidiſſe. quin & antiqui illi *Franci*, qui ſub *Marcomiro* & *Pharamundo* Gallias deuicerunt, ſuos habuerunt litterarum characteres, a Græcis parum diſcrepantes, quibus VASTHALDVS, patrio ſermone eorum hiſtoriam deſcripſit. quamuis *Vaſthaldum* hunc ſuppoſititium malæque fidei auctorem, contra *Iohannem Trithemium*, PETRVS LAMBECIVS exiſtimet, Comment. Bibl. Cæſ. Lib. II. c. VIII. p. 707. marg. Quidquid huius rei ſit, litterarum iſtarum auctor incertus omnino eſt. Exſtant aliæ quoque Francorum litteræ, quarum auctor DORACVS quidam celebratur. Sed *Vaſthaldi* characteres longe ſunt diuerſi, ab iis etiam, qui inuenti ſunt ab HICHIO FRANCO, qui cum *Marcomiro* ad oſtia Rheni e Scythia venit. Immo BEDA etiam aliquas *Normannorum* litteras deſcripſit, ſed quarum auctor & origo æque ignoratur. Conſimili ratione multæ aliæ gentes, aut nouos ſibi litterarum characteres conſtituerunt, aut a priſcis illis hominibus acceptos atque nouis acceſſionibus auctos, deturparunt. Ita *Dalmatæ*, *Raſciani*, *Slaui*, *Bosnii*, *Croatæ*, *Carni*, *Moſcovitæ* ſeu *Ruſſi*, Græcas litteras, ſed nouis quibusdam ductibus deformes, ſuas fecerunt. Sed de *Slauonicis* litteris diſtinctius dicendum, quod natio nobis vicina eſt. Sunt eæ nimirum duplicis generis, *Cyrillicæ* & *Glagoliticæ*. Has poſteriores *Dalmatæ* & *Croatæ* paſſim vſurpant, atque a *S.* HIERONYMO, qui *Stri-*

Digitized by Google

Stridone natus eſt, inventas credunt. Iisdem *Miſſalia*, quibus ritus faciundorum myſteriorum continentur, Romæ hodienum imprimi, auctores idonei perhibent. Genti enim huic beneficio peculiari a ſummo Pontifice Romano iam tum A. P. N. C. 870. indultum eſſe legimus, vt ſacra facere poſſit, lingua ſibi vernacula: vtut ſuper ea re non leuem controuerſiam exortam legamus, inter Archiepiſcopum *Iuuauenſem*, qui nunc *Salzburgenſis* dicitur, ADELVINVM, & S. METHODIVM, Archiepiſcopum Pannoniarum, confer omnino Io. WEICHARDI VALVASOR Ehre des Herzogthums Crain / Lib. VII. c. V. VI. Priores vero illæ, quæ *Cyrillicæ* dicuntur, auctorem habent, HERMANNO FABRONIO teſte, CYRILLVM, Slauorum Epiſcopum, & huius collegam, laudatum iam *Methodium*. Vſus earum latiſſime frequentatur: præter Slauos enim & Boſnios, ipſa magni Turcorum Imperatoris aula iisdem ſcriptitat. atque hinc fortaſſis lucem aliquam fœnerabitur nota, B. LVTHERI, marginalis, ad Ezech. XXXVIII, 6. Gomer und Togarma ſein Sohn / Gen. 10, 3. achte ich / ſeyn die Wenden; denn am Türckiſchen Hofe redet man Wendiſch. Conf. Chronolog. IOH. FVNCCII, fol. 17. b. in voce *Vandalus*. Nec longe a *Cyrillico* iſthoc Alphabeto recedit, *Moſcouiticum*, quod Grammaticam illuſtris HIOBI LVDOLFFI Ruſſicam, cum iis characteribus, quos laudatus Lib. B. *Valuaſor* l. c. Lib. VI. c. I. exhibet, conferenti, obuium eſt. Multæ præterea antiquæ litteræ perierunt, in quibus merito numeraueris veterum Hetruſcorum, quæ tamen olim, teſte *Liuio* & *Plinio*, magno in pretio apud Romanos habebantur, & cernuntur adhuc earum effigies in antiquis monumentis quibusdam, ſed penitus incognitæ. Sic veteres Germanorum, Hiſpanorum, Gallorum, Britannorum, & aliarum late habitantium nationum, characteres antiqui interciderunt, eo quod Romani, gentium, quas ſub iugum miſerunt, litteras quoque abrogabant, ſuarum illis vſum obtrudentes. Hactenus de litterarum origine generatim.

Sectio Secunda

ΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚῊ

De Litteris Hunno - Scythicis ſpeciatim.

Synopſis.

An Scythæ, & horum propago Hunni, vnquam habuerint litteras? variantes auctorum ſententiæ. §. I.
Auctoris ſententia adfirmans, & pro hac argum. veroſimilia. §. II.
Locus Olai Magni eandem illuſtrans. §. III.
Primus Scythicarum litterarum conditor Fenisius, & huius nominis etymon Hungaricum. §. IV.
Feniſius iſte inter Hunno - Scytharum maiores quærendus. §. V.
Quales Hunno - Scytharum fuerint characteres? §. VI.
Siſtitur Alphabetum Hunno - Scythicum. §. VII.
Quod ſit genuinum, Argumentum I. ab eius Geneſi. §. VIII.
Diagramma characterum orientalium. §. IX.
Argumentum II. ab eius valore Linguæ Hungaricæ accommodatisſimo. §. X.
Argumentum III. ab eo, quod caret litteris, quæ Europæis ſunt propriæ. §. XI.
Argumentum IV. a MSCptis, eodem hoc Alphabeto exaratis, & de horum penuria, in ipſa auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi. §. XII.
P. Lambecii de Turcarum maleuolentia querela. §. XIII.
Eiusdem Commentarii de Bibliotheca Cæſarea, excuſſi. §. XIV.
Codex Florentinus MSC. an ſit Hunno - Scythicus? ſententiarum diuortia. §. XV.
Celeb. Struuii de eo ἐπίκρισις: Tröſteri argutiæ. §. XVI.
Argumentum V. ab arte Typographica a Scythis, ſi non inuenta, diu tamen ante Europæos vſurpata. §. XVII.
Iuſta cum Tröſtero ſuper ea re expoſtulatio. §. XVIII.
Argumentum VI. ab eius vſu inter Székelyos Tranſyluaniæ. §. XIX.
Argumentum VII. idque vltimum, a ſcribendi ratione retrograda ductum. §. XX.

§. I.

Pauca hæc de litterarum natalibus præfari oportuit, eorum maxime cauſſa, quibus in re alioquin momentoſa, vaſtas eruditorum virorum commentationes, legere haud datum eſt. Nunc præſtructo ſic aditu, ad gentem noſtram veniamus, excuſſuri, qua licuerit, accuratione, an, & quales illi, ante aduentum in Pannoniam, ac antiquis iam

iam tum temporibus, characteres fuerint? Agemus vero, quod ii ſolent, qui poſteaquam naufragium ſunt paſſi, tabulas, quas ſibi cunque ſors obiicit, auide complectuntur, atque vitæ periculo ſe ſubducunt; hoc eſt, dabimus operam, vt quæſtio multa dubietate circumſepta, ita diſcutiatur, ne Lector eruditus, animo fluctuare neceſſum habeat. Auctorum, quæ ſuppetent, indicia, primum producemus; deinde quæ noſtra ſit opinio, Alphabeto producto, cum ratione promemus, vocatis in ſubſidium, ſi quæ ſunt, monimentis domeſticis. Et Procopivs quidem, de Bello Goth. Lib. IV. c. 19. litteraturæ gloriam Hunnis plane denegat: *Hunni*, inquit, *etiamnum rudes plane ſunt litterarum, quas ne auribus quidem admittunt, neque eorum pueri in labore litterario adoleſcunt.* His porro ſubnectit, de legatis, quos Sandil, Hunnorum Vturgurorum rex, vlteriorem Mæotidis ripam tenens, ad Ivstinianvm, cauſſa fugitiuorum Hunnorum miſerat: *quapropter omnia regis ſui mandata more barbarico relaturi erant memoriter legati illi; qui vbi in conſpectum venerunt Iuſtiniani Auguſti, ei dixerunt, ſe ore ſuo, velut epiſtola, regem ſuum loqui: olim puer prouerbium didici, quod iactari audiebam, idque eiusmodi eſt, ſi bene memini: pilum quidem, aiunt, lupus, ferum animal, mutare fortaſſe poterit, ingenium vero numquam mutabit, abnuente natura emendationem. Id ego accepi* Sandil *a ſenioribus, oblique innuentibus, quæ hominibus conuenient. - - Cutuguri indolem ſuam Romanis breui probabunt, &c.* Intelligit vero per *Cuturguros*, Hunnos fugitiuos, quos acceperat Iuſtinianus. Sed & Priscvs Orator in eandem ſententiam videtur eſſe procliuis, Excerpt. de Legat. p. 57. dum narrat: *ab* Aëtio *Duce Romanorum non incelebri, ad Attilam*, Conſtantium *quendam hoc fine miſſum, vt ei in conſcribendis epiſtolis nauaret operam*, ὑπογραφέως χάριν. quod quidem lectoribus anſam præbere poſſet ſuſpicandi, ac ſi Attila, & qui in eius famulitio erant, rudes litterarum exſtitiſſent, quodque haud poterant ipſi, aliorum ſupplere voluiſſent miniſterio. Certe Franciscvs Fóris Otrokóchi, cum Originum Hungar. P. I. c. VII. p. 318. 319. vtrumque Procopii &

Digitized by Google

PRISCI ORATORIS, locum in eadem hac, quam tractamus, quæſtione, produxiſſet, priori hæc ſubiicit: *ex hac Procopii relatione, vt & ex aliis certis documentis, hoc ego tantum colligo, quod magna, immo maxima pars Hunnorum fuit olim penitus illitterata, ideoque ea non multum curauit characteres litterarum. Sed quod tota illa natio Hunniaca, quæ longe lateque patuit olim per Scythiam, penitus ſine litteris fuiſſet, nullo argumento oſtendi poteſt.* Locum vero PRISCI poſteriorem ſequente notat ἐπικρίσει: *rationi conſentaneum eſt, vt rex, qui habet ſecretariam aliquam domum, & in ea ſcribam alienigenam,* (qualis erat Conſtantius Attilæ) *is habeat ex ſuis etiam aliquos, qui alienigenam, in ſcribendis litteris dirigant, eius ſcripta reuideant, examinent: quod fieri ſecus non poteſt, niſi & ipſi contribules ac populares regis, aliquam litterarum habeant notitiam. Alioquin ſcribæ munus inutile eſſet; vel certe pro lubitu, dum vellet, proditorem ageret.* Enimuero, mihi ita videtur, domeſticas res, domeſticorum ſcribarum opera, itaque Hunniaco charactere, in litteras fuiſſe relatas: vbi autem ad exteros perſcribendum erat aliquid, alienigenas fuiſſe adhibitos notarios: quod hodienum in aulis fieri aduertas. Atque ab iſtiusmodi epiſtolis erat ATTILAE, Conſtantius, quem ei AËTIVS, Romanorum dux miſiſſe perhibetur. Tandem mentem ſuam laudatus FÓRIS, ita promit: *an vero in altiori ac nobiliori illa antiquitate, qua etiam Græciæ ac Phrygiæ aliquas partes noſtros quosdam maiores poſſediſſe, infra oſtenſurus ſum, habuerint noſtri aliquas litteras, ſicut id negare non poſſum, ſic certi hic aliquid, vsque dum in tanta, hac de re, caligine quampiam, cum tempore, lucem accepero, ſtatuere non præſumo; niſi quod ex iis, quæ infra de Prometheo dicturus ſum, probabiliter videtur huius quæſiti adfirmatio colligi.* At vero, meminit litterarum Hunniacarum STEPHANVS SZÉKELY, in Chronico ſuo, quod hungarice conſcripſit, quodque prodiit *Cracouiæ* 1558. quin & IOHANNES BÖEMVS AVBANVS TEVTONICVS, in libello, quem de moribus, legibus & ritibus omnium gentium compoſuit, Lib. III. c. X. p. m. 230. palam teſtatur: *habent*, de Hungaris loquitur, *&*

pri-

priuatas litteras, ſed Romanis libentius vtuntur. Neque aliter Io. Lvdov. Gotofredi, Archontologiæ Coſmicæ, Lib. I. p. 390. §. 12. de Hungaris: *Lingua*, inquit, *vtuntur peculiari, quæ tamen in quibusdam ad Illyricam accedit: & quamuis ab antiquo peculiaribus quoque vſi fuerint, in ſcribendo* litteris, *bodie tamen Romanis contenti ſunt.* Recte, quæ de litteris Hungarorum tradit; ſed quod Linguam ad Illyricam in quibusdam accedere ſcribit, caute omnino eſt accipiendum. Nolo plura auctorum teſtimonia cumulare. illud miror, Lavrentivm Toppeltinvm de Medgyes, in Orig. & Occaſu Tranſylv. cap. VIII p. 70. de Hungaris, audacter adſeuerare: *antequam Chriſtianis caſtris accederent, ſcripſiſſe ipſos, nullibi legimus.* Decuerat ſane antiquæ Daciæ rudera & monimenta perueſtigantem, curatius in Hungarorum antiquas litteras prius inquirere, quam adfirmaret, nullo eos vnquam vſu litterarum claruiſſe: ſicubi enim, certe in Tranſyluania, vetere & hodierna, clarisſima huius rei haberi poſſent documenta. Sed danda eſt venia ſcriptori, qui, quod ſua proſequi volebat, rerum alienarum minus erat curioſus.

§. II.

Equidem de veteribus *Scythis* ita ſentio, quo propiores ii primis ſedibus, vnde ſunt egreſſi, fuere, eo plura apud eos antiquæ & auitæ ſapientiæ reperta fuiſſe veſtigia. Egreſſos autem poſt linguarum confuſionem, e Meſopotamia, conſediſſeque cum patre ſuo Magogo, in ſeptentrionalibus regionibus, Scriptura S. quodammodo innuit. Prorſus autem perſuadeo mihi, Noachvm omnes tres filios ſuos, litteras, quas ille conſeruauerat, ex æquo docuiſſe, qui eas demum ſuos docebant poſteros, inque orbem vniuerſum, cum coloniis, propagabant. Et tum Iaphetvs, cuius propago ſunt *Scythæ*, Magogo filio, atque hic rurſus natis ſuis, & qui naſcebantur ex illis, litteras inculcabat. vnde conſecutum eſt, vt ad eorum quoque poſteros, *Scythas* atque *Hunnos*, diuinior litterarum peritia, promanaret. Quia vero duplicem illi homines characterem habebant, *Symbolicum* & *Alphabetarium*, ita exiſtimo, Alphabe-

Digitized by Google

phabetarium quidem apud iſtos Scytharum manſiſſe perpetuum, qui paludem Mœotidem, atque adeo gentes accolebant cultiores: qui vero altius ad Septentrionem profecti ſunt, locorum interuallis a tribulibus diſſitos, rudem quendam characterem ſymbolicum, tacito forte an conſenſu receptum, vſurpauiſſe, qui tamen & ipſe, temporis progreſſu, cum Scythæ armis potius, quam artium ſtudiis delectarentur, vſus factus eſt crebrioris. Certe a Scythis antiquiſſimis hieroglyphicum ſcribendi genus vſurpatum fuiſſe, docet CLEMENS ALEXANDRINVS, ex *Pherecyde Syrio*, hiſtoricorum exoticorum vetuſtisſimo, & primo philoſophorum magiſtro, qui ſexcentos circiter annos ante natum Chriſtum florebat. Sic vero *Clemens* ille Strom. Lib. V. *Οὐ μόνον Αἰγυπτίων οἱ λογικώτατοι, πρὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων Βαρβάρων, ὅσοι φιλοτοφίας ὠρέχθησαν, τὸ συμβολικὸν εἶδος ἐζήλωσαν. φασὶ γε οὖν καὶ Ἰδανθύραν τῶν Σκυθῶν βασιλέα, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάντι τὸν Ἴστρον, πόλεμον ἀπειλοῦντα, πέμψαι σύμβολον ἀντὶ γραμμάτων, μῦν, βάτραχον, ὄρνιθα, ὀϊστὸν, ἄροτρον. ἀπορίας δὲ οὔσης, οἷας εἰκὸς, ἐπὶ τούτοις, Ὀροντοπάγας μὲν ὁ χιλίαρχος ἔλεγεν, παραδώσειν αὐτοὺς τὴν ἀρχὴν, τεκμαιρόμενος ἀπὸ μὲν τοῦ μυὸς τὰς οἰκήσεις, ἀπὸ δὲ τοῦ βατράχου τὰ ὕδατα, τὸν ἀέρα τε ἀπὸ τῆς ὄρνιθος καὶ ἀπὸ τοῦ ὀϊστοῦ τὰ ὅπλα, ἀπὸ δὲ τοῦ ἀρότρου τὴν χώραν. Ξιφόδρης δὲ ἔμπαλιν ἡρμήνευσεν. ἔφασκε γὰρ, ἐὰν μὴ ὡς ὄρνιθες ἀναπτῶμεν, ἢ ὡς μύες κατὰ τῆς γῆς, ἢ ὡς οἱ βάτραχοι καθ' ὕδατος δύωμεν, οὐκ ἂν φύγοιμεν τὰ ἐκείνων βέλη. τῆς γὰρ χώρας οὐκ ἐσμὲν κύριοι.* Hoc eſt, vt MORINVS interpretatur; *non ſolum ſapientiores Aegyptiorum, ſed apud Barbaros etiam nonnullos, quicunque Philoſophiæ cupidi fuerunt, ſymbolicam ſpeciem adfectarunt. Dicunt enim* IDANTHVRAM, *Scytharum regem, vt refert Pherecydes Syrius, Dario Iſtrum tranſeunti ad bellum inferendum, miſiſſe ſymbolum pro litteris, murem, ranam, auem, ſagittam, aratrum. Dubio autem circa interpretationem eorum orto, chiliarchus Orontopagas dixit, Scythas dedere imperium, atque mure deſignari domicilia, rana aquas, aue aërem, ſagitta arma, & aratro terram: Xiphodres contra dixit, ſignificari, quod niſi vt aues auolemus, aut vt mures ima*

terræ

terræ petamus, aut ſub aquis ranarum inſtar deliteſcamus, non effugiemus eorum ſagittas, quia minime potiemur eorum regione. Hæc ille. Superſunt hodienum, ſymbolici, ſiue emblematici characteris apud agreſtes noſtros, haud leues reliquiæ, quæ etiam inductum in hanc cogitationem, animum, mirifice confirmarunt. Hi namque artis ignari ſcriptoriæ, vt memoriæ conſulant, res, quas volunt, notis & characteribus, qui imaginationi ſuæ reſpondeant, complectuntur. Miratus ego ſæpe fui, caupones idiotas, iſtis, quibus aliquid credidere, huiusmodi ficto charactere, inter debitores non adſcribere tantum, ſed longioris etiam temporis interuallo poſt, non ſecus, quam ſi alphabetario ſcribendi genere adnotati fuiſſent, promere, debitamque ſummam & rationes, indicare potuiſſe. Ita ſi debitor miles eſſet, rudi quadam linea, frameam aut pugionem pingebant; ſi faber, malleum aut ſecurim; ſi auriga, flagrum, atque ſic porro: quemadmodum videlicet hunc aliumue mente conceperunt ſua. Non equidem ſum neſcius, & aliis gentibus, hanc, penes litterarum rudes, fingendorum characterum libidinem frequentari, noſtris tamen illa Hungaris, peculiari quodam iure quaſi propria vindicari poteſt. His profecto accenſendum illud eſt, quod per vicos, illiterati magiſtratus ac ſatellites, quibus tributa mandantur ad exigendum, ſcriptionis loco, dica, in quadrum dolata, expeditiſſime vtuntur. in hac illi & cenſus vniuscuiusque portionem adnotant & accepta referunt, & rationes ſubducunt, ſæpe numero felicius longe celeriusque, quam qui artem callent ſcriptoriam. Prodigii ſimile eſt, quod P. R. vir, Io. Glosivs, Taxouienſium in Comitatu Hontenſi *Paſtor* & *Conſenior*, adfinis coniunctiſſimus, annis abhinc aliquot, ad me ſcripſerat: *vir quidam ruſticus,* Paullus Balaſko, Hrabouienſis, *ex aduerſo pagi* Cálno, *ad* Ipolam *fluuium*, *in Comitatu* Neogradenſi, *inquilinus*, *meus*, *per annos aliquot*, *auditor*, *ea fuit*, *&* *in audiendo verbo DEI alacritate*, *&* *iuxta monitum Seruatoris*, *in adſeruando eodem tenacitate*, *vt quum litteras didiciſſet numquam*, *conciones tamen*, *quas audiebat*, *ſingulas*, *fuſtellis inſculperet*, *atque poſt decem*, *&* *plus*, *annos*, *vbi ratio auditorum*

Digitized by Google

rum erat reddenda, omnia ſacri ſermonis momenta, haud ſecus, quam ſi in litteras habuiſſet relata, promere poſſet accuratiſſime: quin & locum, in quo habita concio eſt, (mater enim Eccleſia, tres filiales, vt vocant, numerat) Paſtorem praterea, qui ſubinde alius atque alius fuit, ſollicite inſculpebat. Rem omnem carmine ſequenti complexus eſt.

Nomine PAVLLVS *erat, cognomine vero* BALASSKO,
Ruſticus & cælebs mortis ad vsque diem.
Non hic litterulas didicit, nec calluit vmquam;
Aſt ex Scriptura dicere multa ſciit.
Scilicet auditor verbi fuit optimus & qui
Præ reliquis munus laudis habere meret.
Ille ſuis dicis e ligni parte paratis,
Quæ voluit, cultri, quæque notabat ope.
In primis vero tria rite notare ſolebat:
Qualia? QVIS? QVID? VBI? *ne malus ordo foret.*
In Quis, *dicentis latuit perſona miniſtri,*
In Quid, *nonnunquam concio tota fuit.*
Quod concernit Vbi, *per id eſt locus ille notatus,*
In quo depoſtus ſermo ſacratus erat.
Quis non miretur calamum talemque papyrum?
Quis non has operas ingeniumque ſimul?

Moriturus mandaſſe fertur his, qui circa ſe erant, vt fuſtellas iſtas, futuras olim auditi a ſe Verbi DEI teſtes, tumbæ, pone cadauer ſuum, iniicerent, ſecumque inhumarent. Par & illud eſt, quod auctoribus idoneis, de opilione quodam in Comitatu *Turoczienſi*, accepi. Is ea fuit imaginationis ac memoriæ, ſiue imbecillitate, ſiue peruicacia, vt *Orationem Dominicam*, eamque vernaculam, perdiſcere, adulta iam ætate, nequiuerit prius, quam eandem ignoto quodam charactere, dicæ inſculperet. ſed neque ex memoria poterat recitare, niſi præſto eſſet dica ſua, ex qua eam legebat non ſecus, ac ſi in ſcripturas relatam habuiſſet. Taceo multos agreſtium noſtrorum, eosque litterarum rudes, quædam quaſi

quaſi Calendaria, ſuis, neſcio quibus, notis & characteribus, conſcribere. totum illi annum, ex duodecim illarum dierum tempeſtate, diiudicant, qui *Natalem* & *Epiphania D. N. I. C.* intercedunt. Suos ergo ſereno cælo, pluuiis, niuibus, nebulis, ventis, frigori, intenſiori atque remiſſiori, pruinæ atque viciſſitudinibus aëris aliis, characteres tribuunt, ſcripturæ prorſus ignari; quibus demum ſingulas diei partes, prout erat tempeſtas, definiunt, & ex huius ratione, non de ſingulorum modo menſium habitu, ſed anni etiam fertilitate aut ſterilitate, aliisque, ſupputatione ad ſuperſtitionem vsque accurata, hariolantur.

§. III.

Sed vt veroſimilitudini huic fidem præſtruat antiquitas & hiſtoria, certe FRÖLICHIVS noſter, de intimioris Suediæ ruſticis, idem ſcribit: *quisque fere ruſticorum opificium callet, & calendarium Gothicis litteris baculo inſculptum ſecum habet*, Medulla Geogr. p. 408. quæ is quidem ex OLAI Hiſtoria Gentium Septentrionalium, Lib. I. c. 20 excerpſit, digna, quæ data opera cum noſtris hiſce conferantur: *Gothi, cum ſenes, tum adoleſcentes, baculum, certis quibusdam characteribus inſignitum habentes, quo inſtrumento, vetuſtiſſimis temporibus, dum librorum vſus non eſſet, lunæ ſolisue, & ceterorum ſiderum virtutes & influentias, infallibili euentu cognouerunt, prout hoc tempore incolæ fere omnes agnoſcunt. Baculus itaque humana longitudine formatus eſt, vtroque latere numero hebdomadarum anni, qualibet hebdomada Gothicas litteras ſeptem habens, quibus aurei numeri & litteræ Dominicales, (poſt acceptum Chriſtianismum) patria voce ac figuris, diſtinguuntur. Nec aliis libris multiplici temporum circulo in aſtrorum interpretationibus vtebantur.* Et mox: *vetuſta gentis conſuetudine, baculis his, rurales Eccleſias viſitando, in prolixis itineribus laici ſe ſuſtentant, atque pariter conuenientes certis adductis rationibus, veriores venturi anni indicant qualitates, quam forſitan alii, ſpeculatiuis ſcientiis, aut præſtigioſis prognoſticationibus inhærentes.*

Addam alium quoque eiuſdem auctoris locum, eo quod liber non in omnium eſt manibus. Ita vero ille Lib. I. c. 21. De Alphabeto Goth. *Ab antiquiſſimo tempore, cum eſſent gigantes in ſeptentrionalibus terris, hoc eſt, longe ante inuentas litteras latinas, & antequam Carmenta ex Græcia ad oſtia Tyberis & Romanum ſolum, cum Euandro perueniret, expulſisque Aboriginibus, gentem illam rudem ac plane ſylueſtrem, mores & litteras docerent, habuerunt Aquilonaria regna ſuas litteras. cuius rei indicium præſtant eximiæ magnitudinis ſaxa, veterum buſtis ac ſpecubus affixa &c.* Atque paullo poſt: *nonnulli etiam pro priuatis computis, inſtar Aegyptiorum, variis animalium figuris vtebantur, & adhuc domeſtica ſagacitate vtuntur, vt inferius mox dicetur: quarum ſimiles adhuc Romæ in veteribus obeliſcis conſpicari licet, in quibus ſingulæ litteræ, ſingula nomina exprimebant, vt puta lupus, auarum; vulpes, inſidioſum; apis, regem; quia moderatorem populorum oportet cum iuſtitiæ aculeo, clementiæ mel habere commixtum. Præterea, vt epiſtolæ papyro inſcriptæ nunc inter homines mittuntur, ita olim Aquilonares incolæ, litteras ligno inſculptas pro celebri genere chartarum ad inuicem deſtinabant: immo & nunc, nec ſuppetente papyro in militaribus caſtris, aut obſidione vrbium, cortice, ſeu codice arboris betullæ, in laminas, immo ſubtiles bracteas diſciſſo, pro ſcribendis epiſtolis opportune utuntur, eoque ſecurius, quo cortex huiusmodi nulla imbrium aut nivium iniuria deuaſtatur. Reperiuntur etiam homines ſeptentrionalis plagæ, adeo ſagacis ingenii, vt cum neque Gothicas, neque Latinas litteras vnquam didicerint, ſibi ipſis ex rerum figuris & inſtrumentis alphabeta componant, eisque pro ſubleuanda memoria in pelle, charta vel cortice ſingulariter ſcribendo, vtuntur.* Hactenus ille. ZAMOSCII, OLAHI noſtri, atque TVROCZII verba, quæ in rem iſtam faciunt, dabimus infra. Quis hic non videat, eadem, quæ paragrapho ſuperiore ſunt detecta, litteraturæ veſtigia. Et procliue ſane eſt colligere, ſi tanta gentis noſtræ hodie in fingendis characteribus fœcunditas deprehenditur, non plane nullam, & priſcis illis temporibus,

Digitized by Google

ribus, ſed exemplo reliquorum Septentrionis populorum, eximiam profecto eandem eſſe oportuit. Sed de Septentrionalium litteris legi merentur OLAVS VORMIVS *de Litteratura Runica*, & VERELIVS in *Runographia*.

§. IV.

Ceterum, hæc cum vltra veroſimilitudinis modum, certa ſint, de eo iam diſpiciendum eſt, annon inter Iapheti poſteros, primus aliquis litterarum inuentor, quales omnes gentes oſtentant, definiri a nobis monſtrarique poſſit. Et ii quidem populi, qui Scythicam originem adfectant, FENISIVM quendam, Iapheti pronepotem, primum Scythicarum litterarum conſtituunt parentem. In his nomino celebrem inter ſuos ſcriptorem, RODERICVM FLAHERTY, in Chronologia rerum Hibernicarum, quam ſub vocabulo OGYGIAE, luci publicæ dedit. Hic cum *Ogygiam* inſulam, de qua Homerus I. Odyſſ. hodiernam eſſe Hiberniam, non inerudite diſputat, tum etiam p. 63. 64. prolixam FENISII, ſiue *Fenii*, vel *Phenii*, Scythicarum litterarum primi conditoris, mentionem iniicit; a quo deinde nomen atque originem ſuam populi *Fenii*, *Pheniſii*, ſeu *Phœni*, traxerint. addit ex horum lingua adhuc ſupereſſe dialectum quandam Hibernicam, quæ eorum lingua *Berula Feni*, *Dialectus Legum*, ſeu *Iureconſultorum*, dicatur. Huius ille rei procul dubio idoneos habuit auctores. Et meminit ſane *Faneſii* populi cuiusdam ſeptentrionalis, PLINIVS, aliique. Certe OLAVS RVDBECKIVS, originum Suedicarum ſcriptor diligentiſſimus, ſed qui ob nimiam ſagacitatem, neque eam genuinis ſemper rationibus ſubnixam, a Germanis SAGITTARIO, MORHOFIO, TENZELIO, paſſim notatus eſt, in ATLANTICA, ſiue MANHEIM, de horum populorum etymo ſedulo diſputat, Parte I. c. IX. & illam quidem deriuationem, quæ ex Græco peti vulgo ſolet, a πᾶν & ὦτα, prudens reiicit, quaſi populi iſti auribus adeo enormibus atque monſtroſis fuiſſent, vt totum iis velare corpus, ſi tempeſtatis poſtulabat iniuria, potuerint. Vt ergo vocabulo illi, pro ſua opinione, genuinum etymum adſtruat,

Digitized by Google

a lingua Gothica præſidium captat. *Fan* enim idem ſignificare, quod *Dominus* ; *Aes* autem notare Deum. *Fanes* igitur erit: *Dominus Deus*, atque hinc *Faneſiorum Inſula*, quomodo Suedia appelletur, *Inſulam Deorum* vel *Dominorum* ſignificabit. Fateor aliquid me hic ſubolfacere, quod prorſus inficiari non ſuſtineam. nam & Hungaris nomen Dei, ab *Aeſch*, ſed non Gothico, verum Hebraico אש, *ignis*, enatum eſt, qua de re in Etymologico Linguæ Hungaricæ, ex inſtituto. Hoc vtut largiar Rudbeckio, per nubem quaſi, de vocis origine hariolanti, nemini tamen ſtomachum motum iri credo, ſi commodiore longe atque expeditiore via, vocis *Feneſiorum* originem, deduxero, atque demum celebrem hunc Scythicæ Litteraturæ inuentorem, Scythis illis vindicauero, quorum longo poſt temporis interuallo, Hunni poſteri exſtiterunt. Eſt itaque nomen *Fenes*, ſeu *Fenis*, pure Hungaricum, quod ad primam vocis pronunciationem, rudiſſimus quisque Hungarorum, nihil monitus, facillime obſeruabit; idemque ſignificat, quod, *lucidus*, *clarus*, *illuſtris*, *ſerenus*. hinc, quos latine *Clariſſimos*, *Illuſtriſſimos*, *Sereniſſimos*, viros, principes, ac reges, appellamus, eos vetere Hungarorum more, *Fénes*, ſeu *Fényes*, vel *Finyes*, quaſi dicas Germanice, Durchlauchtig/ nuncupamus. Quia vero, quæ puræ ſunt voces Hungaræ, ex orientalium linguis, prono placidoque aluco deriuari poterunt omnino, hoc quoque vocabulum, ab Hebræis repetitum, videri poteſt in *Etymologici Hungarici ſpecimine*, ſi Deus cœptis fauerit, propediem a nobis edendo. Dici autem Scytha iſte illuſtri hoc nomine meruit, ſiquidem diuinæ prorſus originis litteraturam, vel inuenit ipſe, vel, quod probabilius crediderim, a maioribus acceptam, nova quadam, in ſuæ poſteritatis homines, auctam acceſſione, propagaverit. Certe Cicero, Plinius, & grauiſſimi quique ſcriptores, litterarum primam originem ad diuiniſſimam quandam mentem referre nihil dubitarunt.

§. V.

§. V.

Quis iam cum ratione inficiabitur, Scythicarum litterarum parentem hunc, inter noſtrorum Hunnorum maiores, non vero, vel in Suedia, vel in Hibernia, multo minus in Germania, quærendum eſſe? Profecto enim adduci haud poſſum, vt Cl. Tenzelio credam, *Feniſium* hunc Scytham, eundem eſſe cum Germanorum & Suedorum *Manno*, videſis Colloquia eius Menſtrua Anni 1690. p. 280 quinimmo, plane mihi perſuadeo, *Feniſium* litteratorem, multis annorum periodis *Manno* Germanorum, antiquiorem vtique fuiſſe. Hic enim, ſi chronologorum ſupputationem, & Auentini Hiſtoriam, ſequaris, circa tempora Abrahami, hoc eſt, A. M. circiter 2000. adeoque poſt diluuium fere 344. vixit; cum contra *Feniſius*, Iapheti fuerit pronepos. Quis præterea credat, tanto annorum ſpatio, Scythas Aſiaticos, tum in Armenia, Media & Phrygia, atque vicinis regionibus, degentes, ſine litteris fuiſſe, aut eas ex his Europæ angulis, in Aſiam, ex qua tamen, vti gentes omnes, ita litteratura quoque prodiit, quaſi extorres, in patriam poſtliminio a Scythis reuocatas fuiſſe. Citius, neque id ſine idoneis rationibus, crediderim, *Tuiſconem*, qui incidit in A. M. 1800. Diluuii fortean 131. *Feniſii* noſtri æquæuum fuiſſe, quippe qui *Auentino* teſte, a patre *Noacho*, cum XX. comitibus ad incolendum Europam fuit miſſus: quo tempore, *Feniſium* Iapheti pronepotem floruiſſe oportuit. Atque tum Scythas litteris iam vti neceſſum fuit. eo quod reliquis Noachidis propiores, quin religionis etiam, & litteraturæ eorum conſortes, extiterunt: cum contra ea apud Germanos, vix aliquod litterarum veſtigium, ſi *Mannus*, primus earum inventor credatur, quod ſcriptores originum Germanicarum volunt, notari queat. Accedit, eosdem ſcriptores pleroſque, Germanos ſuos atque Gothos, a Scythis ſatos ſcribere: quod ſi largiamur, ſicuti largimur omnino faciles, liquido conſtabit, Germanos & Gothos, Scythis, non hos illis, litteras ferre debere in acceptis. quod ſane meminerint Hunnomaſtiges. Enimuero, quidquid pro Runis, Verelius, Vormius &

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

RVDBECKIVS; pro Scotis & Hibernis FLAHERTY; pro Germanis BECANVS, CLVVERVS, SCHOTTELIVS, MORHOFIVS, BÖDICKERVS, & omnium recentiſſimus IO. AVG. EGENOLFF, operoſe commentantur, Scythis illud, tamquam communibus omnium parentibus, atque adeo noſtris etiam Hunnis, velificat. Iam, quod ad populos adtinet ſeptentrionales, qui a *Feniſio* Scytha nomen traxere ſuum, dictique ſunt *Fenii*, *Pheniſii* ſeu *Phœni*, poterant omnino, prout illorum temporum conſuetudo ferebat, facta ex Aſia demigratione in Europæ Septentrionem, nouas forte ſedes quæſituri, perueniſſe, & partim in *Finnia*, Finn-Land/ Suediæ regione; partim in *Fionia*, Daniæ inſula; partim in *Finnmarckia*, Noruegiæ prouincia; partim denique in *Scotia* & *Hibernia*, conſediſſe: quibus demum regionibus & populis, a duce ſuo, vel præcipua quadam & copioſiſſima familia, quæ gentilitium *Feneſii* nomen ferebat, id cognomenti hæſit: quemadmodum neque *Scotis*, nominis ſui deriuationem a Scythis petitam, inuidemus; ſed laudato *Flaherdy* Ogygiæ Parte III. c. 72. lubentes omnino ſubſcribimus. Interim Feniſiorum denominatio, non iam e Gothica lingua cum *Rudbeckio*; ſed e Hunno-Scythica erit arceſſenda. certe hæc noſtra deriuatio, eo ſe magis commendet, quo *Rudbeckiana* illa ſimplicior eſt, & cuiuis linguæ Hungaricæ gnaro ex facili obuia. Proinde *Feniſii* idem ſonabunt, quod *clari*, *celebres*, *illuſtres*, ſiue ob res fortiter & præclare geſtas, ſiue, quod ab illo Scytha, continua maiorum ſerie deſcenderent, qui inuentis auctisue Scytharum litteris, *Feneſii*, hoc eſt, *clari* atque *illuſtris*, nomen meruit. Hæc dum ſagaci coniectura preſſius conſector, venit in mentem cogitare, annon *Feniſii* iſti, Runographiæ, qua Suedi & Dani ſuperbiunt, auctores ſint habendi? mihi ſane id veroſimile videtur: nec dubito, quin eandem in ſententiam ſint conceſſuri eruditi illi, qui procul gratia odioque, æſtimauerint penitiſſime, quæ a nobis iam ſunt adlata. in primis, ſi characteres noſtros Hunno-Scythicos, cum iis contulerint, qui apud *Verelium*, *Vormium*, & laudatos ſupra auctores, viſuntur. quam coniecturam mihi firmant, reliquiæ linguæ Hungaro-Scythicæ, quas in *Finnico* idiomate

Digitized by Google

mate deprehendo, quasque in progreſſu huius noſtri operis, b. c. D. ſumus exhibituri. Sed de *Fennis* ſiue *Finnis*, videſis TACITVM de Moribus Germ. extr. & PHILIPPVM CLVVERIVM Germ. Antiq. Lib. III. c. XLV. p. 201.


§. VI.

Nunc longioris ſubſellii quæſtio ſe ingerit, quales Huño-Scytharum, ſi quas habuerunt, ſicuti habuerunt omnino, litteræ fuerint. Cl. Io. TSE'TSI, illuſtr. Sch. Sáros-Patak. Rector, in obſeru. orthogr. Gram. de recta Hungarice ſcribendi & loquendi ratione, p. 1. §. 2. ita habet: *Hungari, poſt habitus ſuis, iam a multis ſeculis, quibus in Scythia, vnde olim egreſſi ſunt, vtebantur litteris, loco earum vtuntur latinis.* Et mox: *Traditio non incerta eſt, Hungaros in Scythia propriis litteris fuiſſe vsos, progrediendo inter ſcribendum a dextra verſus ſiniſtram, more Hebræorum, & aliorum Orientalium. Harum litterarum veſtigia etiamnum, vt aliqui perhibent, apud Székelios Tranſyluanenſes ſupereſſe, extra dubium eſt, licet iis vti, paucis datum ſit.* Ita *Tsétſius.* Sed ALBERTVS MOLNA'R, clariſſimum ſui temporis litteraturæ Hungaricæ lumen, in Præf. Gram. Hung. p. 23. iſtos characteres numquam ſibi viſos ait: *Sicculorum, vel Szekelyorum Transyluanorum litteras, quarum meminit* STEPHANVS SZE'KELY, *in ſuo Chronico Hungarico, numquam vidi, neque hominem noui, qui eas viderit. Rogo itaque populares meos, in primis Székulos Tranſyluanos, vt, ſi quid eiusmodi habeant, in publicum illud proferre, cum ſuis commentariis, dignentur.* Habuit vero easdem GEORGIVS CSIPKE'S KOMARINI, S. Theol. D. & Prof. in illuſtri Schola Debreczina, qui *Hungariæ illuſtratæ* p. 23. 24. litteras, dictiones Hungaricas conſtituentes, *primo*, qua more antiquo, & proprie Hungarice ſcriptas, *deinde*, qua litteris Romanis expreſſas, conſiderat. *Qua proprie Hungarice ſcriptæ ſunt XXXII. K. enim aliter in medio, aliter in fine & principio ſcribitur; vt pateret in figuris litterarum, quas libenter daremus, ſi ita typos ad imprimendum, vt pennam & digitos ad deſcribendum, haberemus. quia vero ty-*

ro typis Scythicis deſtituimur, Romanis deſcribemus, quomodo deſcriptas vocamus, quæ Romanis characteribus deſcriptas &c. Atque tum pergit: *qua Romanis characteribus expreſſæ ſunt 31. hoc ordine.* a, b, cz, cs, d, e, f, g, gy, h, i, j, k, l, ly, m, n, ny, o, ô, p, r, ſ, ſz, t, ty, u, ü, v, z, zs. quæ quidem, quod ad nomina adtinet, quomodo cum noſtris, quos iam iam exhibebimus, conueniant, conferenti obuium erit. Illud certe negari haud poteſt, eosdem, cum noſtris eſſe, ſi pauca quædam excipias. namque é longum, cujus peculiaris eſt in alphabeto noſtro character, & vſus in Hungariſmo latiſſimus, hic non reperitur; & cum KOMARINVS, triplicis K. faciat mentionem; noſtrum *initiale* tantum, (quod ego & in medio adhiberi ſolitum credo) & *finale* exhibet: R. contra ea in noſtro *maius* & *minus* conſpicitur, de quo tamen nihil habet *Komarinus*. FRANCISCVS vero FÓRIS OTROKOCSI, vir rerum patriæ curioſiſſimus, loco ſupra memorato: *habeo*, inquit, *apud me characteres quosdam a dextra ad ſiniſtram procedentes, cum titulo*: Alphabetum antiquorum Hunnorum; *quos aliquando Venetiis acceperam & deſcripſeram, ab amico quodam, qui etiam, vt reor, ex occidentali Hungariæ parte eos acceperat.* Mentem de iis ſuam ita deinde promit: *verum, cum mihi ipſi etiam illi characteres valde adhuc ſuſpecti ſint; præſertim ex eo, quod vocales (quas ſeptem habemus) mixtim inter conſonantes recenſeantur, ad inſtar Europaeorum. idcirco eorum publicationem, aut certius de his iudicium, eo vsque differo, donec Deo dante, melius de iisdem aliunde edoctus fuero.* Pergit porro: *initiales eorum aliquot hic apponam, vt vel ex iis, qui forte ſimiles aliquando viderint, iudicent, an hi ſint iidem.* Producit demum ipſiſſimos noſtros iſtos characteres, quos iam luce publica donamus numero ſex: a, b, cz, cs, d, e. atque ſubiungit: *Sunt in vniuerſum numero XXXIV. in iis enim etiam noſtræ molles*, gy, ly, ny, ty, *diſtinctis characteribus ſcribuntur a lit.* g, l, n, t. *Littera autem* Y, *omittitur, quia, vt iam dixi, ea per ſe non eſt noſtra littera.* Hactenus *Otrokocsi.* Recte quidem, quod ad numerum & reliquas litterarum iſtarum adfectio-

Digitized by Google

Alphabetum Hunno-Scythicum.



adfectiones adtinet; ſed quod vocales eum, conſonantibus, Europæorum more, intermixtæ, de genuina alphabeti antiquitate, reddunt dubium, illud vero eſt, quod parum momenti habet, atque a nobis infra inter præiudicatas opiniones poſitum, excutietur. Equidem,

haud credulus illi,

genuinos eſſe Alphabeti huius characteres, non uno argumento plane conuincor; qua de re inferius erit dicendi locus.

§. VII.

Sed vero, antequam ad euincendam Alphabeti huius Hunno-Scythici antiquitatem genuinam me accingam, en illud Tibi L. B. ſpectandum exhibeo, ea, qua licuit, accuratione, expreſſum. Acceptum id fero Viro, dum viueret, inter ſuos celeberrimo, Samveli Caposſio, S. Theol D. & in illuſtri quondam Schola, quæ Albæ Iuliæ floruit, P. P. Complectitur illud litteras XXXIV. ſcriptas ritu Orientalium retrogrado, hoc eſt, a dextra ad ſiniſtram procedente; adeoque plane easdem, quas *Fr. Föris*, ſe habuiſſe, ſpecimine edito, teſtatus eſt, & de quibus *Komarinum*, nunc audiuimus differentem. Vid. Tab. I.

In ſyllabarum compoſitione, vocales conſonantibus nexilibus, more Aethiopum, ſcite adnectunt, ſiue vt compendifacerent ſpatium, ſiue vt ſcribentium conſulerent celeritati. Subiungimus exemplum, quale exhibuit πρωτότυπος, Carolina miſſus. Vid. Tab. II.

Aduertit hic L. B. ex facili, conſonanti B. adnecti vocales, *a. e. i. o.* id quod circa reliquas etiam conſonantes, credo obſeruari poſſe; ſed nec ambigo, quin in ſcribendo, *ligabiles* alias, alias *illigabiles*, quemadmodum *Arabes* & *Syri*, habuerint Hunni veteres: cuius rei non plane nullum eſt indicium, quod K. & R. aliter ab initio vocis, aliter in fine ſcribatur. At vero de his tum demum iudicabimus ſecurius, vbi MSC. conſulere, & ex eorum contextu, de ſingularum litterarum habitu mutuo, exiſtimare potuerimus. Præter iſtud, quod iam exhibui, Alphabeti

Digitized by Google

Hunno-Scythici exemplar, aliud quoque, ſingulari prorſus beneficio a nonnemine accepi. Scriptum illud eſt manu Generoſi D. IOH. MEIER *Tigurini*, cum ἐπιγραφῇ: *Alphabetum priſcorum Hunnorum, quo olim vſi ſunt, lectum more Hebræorum, a dextra ad ſiniſtram;* vtut in exemplari ipſo litteræ, ſerie deorſum tendente, conſpiciantur. Numerus & valor, cum noſtro illo idem eſt, ſed figura in quibusdam litteris nonnihil variat; quod tamen rei ipſi adeo nihil demit, vt eam potius faciat euidentiorem, vt adeo ſuperuacuam fore diligentiam exiſtimem, ſi litteræ, figura leuiter ab inuicem declinantes, nouo xilographi labore exſculperentur. Sed iam ad euincendam Alphabeti huius noſtri antiquitatem genuinam, accedamus.

§. VIII.

Primum igitur *Argumentum*, quo inductus ſum, vt crederem, genuinum illud eſſe, *Geneſis* eiusdem eſt, nullo negotio ex Orientalium ductibus antiquioribus repetita. quæ vt eo fiat euidentior, periculum faciamus, litteras ſingulas accuratius examinaturi,
1. & cum orientalibus collaturi impenſius. 1. A. Originem Hebraicam, vel inuito lectori prodit. Cum enim KIRCHERO teſte, Libro de *Turri Babel*, p. 157. *Aleph*, א vnica olim lineola erecta, ad morem I. latinorum conſtitit, procliue erat, vt lineæ iſti altera, ſed exſilior, quod Celeb. LÖSCHERVS de Cauſſis Ling. Heb. p. 224. coniicit, parte eius ſuperiori, adnecteretur; ſic, vt a dextris, ſiniſtrorſum propenderet: quæ iterum, ſiue celeritate ſcribarum, ſiue ornatus cauſſa, adhæſiſſe potuit lineæ principi, quomodo A. noſtrum enatum. Quid? quod in RABANI MAVRI Alphabeto, quod ille *Moſis* appellat, character τοῦ Aleph, noſtro, ſi linea ſuperior coniungatur cum corpore litteræ, plane fit ſimile: vt nunc Samaritanorum *Aleph*, Syrorum *Oláph*, Arabum *Elif init.* taceam. Si quis vero obiiciat, Græcanicam potius, quam Hebraicam characteris originem eſſe, eo quod libri veteres, manu exarati, ſuum *Alpha*, ad eundem modum exhibeant: equidem non inuitus largiar, parum a noſtri huius characteris forma diſſidere,

vetus

Digitized by Google

vetus Græcorum *Alpha*, quemadmodum id me αὐτοψία docuit,
cum in Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi, abhinc trien-
nium codicem illum *Dioſcoridis* vetuſtiſſimum, quem diligen-
tiſſimus P. Lambecius Comment. Biblioth. Cæſ. Lib II. c. VII. lu-
culenter deſcribit, curioſius perluſtrarem : at enim vero nihil
aliud inde mihi colliget, quam quod & ipſa hæc Græcorum cha-
racteris forma vetus, ad eosdem forte natales, cum noſtro,
referri debeat. 2. B. Character eſt non minus ab oriente arceſſen- 2.
dus : ſiue enim hodiernam, ſiue quamcunque veterem τῦ *Beth*
Hebræorum figuram, cum eo contenderis, non alio inter ſe dif-
fidere aduertes, quam quod *Beth* hebraicum, cauitatem habeat
ſiniſtrorſum apertam, character autem noſter, ſimul & dextror-
ſum. Eſt ergo *Beth* geminum conuerſo ſitu coalitum ⊐⊏, quod
demum pictum celerius, in eam formam euaſit, qua id pinxere
Hunni veteres. Reperias præterea eius veſtigia in *Beth* Samarita-
no; *Be* initiali Arabico; *Beth* denique Syriaco. 3. CZ. Hebræa eſſe 3.
origine, manifeſtum eſt ; quippe a *Dſain* ז, formatum, cuius li-
neola, vel flammula ſuperior, ex vtraque parte defluens, fecit no-
ſtrum *Cze*. Nec abſimile eſt *Tzode* Syrorum *mediano nexili*. 4. CS. 4.
Non fallit coniectura, ex *Tzade* צ Hebræorum, paullulum recli-
nante, naſci potuiſſe. adde Syriacum *Tzode* fig. Eſtrang. quod
erectum, & lineola intermedia, ductibus lateralibus latius diuari-
catis, auctum, plane erit Hunniacum *Cse*. 5. D. Totum quan- 5.
tum eſt, Hebræum eſt, ſi compagem anguli excipias, cuius hic li-
nea vtraque prominet; congruit ei cumprimis *Daleth* Alphabeti
Balmeſiani. 6. E. breue, ſoni obſcurioris. conſimile eſt *He* ה Bal- 6.
meſiano, præterquam quod illud aperturam verſus dextram ha-
beat, iſtud ſiniſtrorſum adſpiciat. Huc & Samaritanum *He*, per-
tinet. 7. É longum, ſoni clarioris, cum priore, quantum ad for- 7.
mam adtinet, congruit, niſi quod virgulæ diacriticæ vtrinque va-
rient, quamuis nihil opus ſit iſta deriuatione, ſiquidem vocales
ſunt. 8. F. Concordat cum *Vau* orientalium, quod olim apud 8.
Hebræos pedi inſtar, curuum erat. idem *Arabes*, virga inferius
ſiniſtrorſum procurrente, in ſemicirculum mutarunt; qua reiecta

Syri, circulum retinuerunt ſolum: hunc rurſus, ſed ampliorem
paullo, linea recta a ſuperficie ad imum deſcendente ſecarunt *Ae-
thiopes*: atque hos æmulati Hunno - Scythæ, mutata linea illa τȣ̃
Vaue Aethiopici, in crucis exiguam formam, fecerunt ſuum *Eſ*.
9. 9. G. τῷ *Gimmel* Orientalium reſpondet, gibbo, quem alias gerit,
in angulum adſurgente, & ſitu in dextram conuerſo: quale quid
ex illa *Gimmel* forma, quam *Rabani Mauri* Alphabetum exhi-
bet, fieri potuiſſe, nemo inficiabitur. quid? quod *Gomal* Syria-
cum fig. Eſtrang. noſtro conforme prorſus ſit futurum, ſi eius ſitus
erigatur, pedique eius ſiniſtro, loco fulcri, interius virgula ſuffiga-
10. tur. 10. GY, diacriſeos cauſſa, ne cum antegreſſo G. ſimplici con-
fundatur, pinxere ea ratione, vt fulcrum illud geminum, lineæ
11. ſiniſtræ tranſuerſim impingerent. 11. H. Et huius originem ex
Hebræo ה, repeto, ſic, ut maior litteræ ductus in circulum abeat,
quem demum fulcrum, & iſtud in circulum adactum, ſecet vtrin-
que, non ſecus, quam ſi duo C. latinorum tranſuerſim ſibi invi-
cem eſſent innexa. inclinat ad eandem hanc *He* noſtri figuram,
12. *He* Rabbinicum; ſed nec Syriacum abludit. 12. I. breve, τῷ
Iod Rabani Mauri congruit. ſi excipias, quod in Hunniaco iſthoc,
lineæ ſuperne tranſuerſim impoſitæ, altera erecta ſuperemineat,
& crucis præ ſe ferat ſpeciem. quod quidem ταχυγραφίας ſtudio
13. accidere facile potuit. 13. I. longum. ab eadem origine arceſſen-
dum. quin ipſiſſimum eſt *Hi* Armenicum, figuræ minoris; ſed
horum etiam deriuatione, quia vocales ſunt, poſſem omnino
14. ſuperſedere. 14. K. Ex Orientalium *Kuph*, ſubnatum, at linea in-
ferne pendula, prorſus neglecta, ſemicirculo autem in quadra-
tam abeunte figuram. quod quidem non in Hebræorum modo
ק, ſed & Syrorum *Quoph*, facile potuit euenire, & maxime
omnium figuræ *Eſtrangela*; quod ſitu paullulum arrecto, & li-
nea, quæ ſiniſtrorſum procurrit, amputata, ex aſſe erit Hunno-
15. Scythicum *Ka*. 15. K. finale. e priore figura naſci potuit, ſupe-
riore latere dextro abiecto, ſiniſtro autem pedis quaſi loco, recli-
16. nato. 16. L. habet aliquid ex *Lamed* Orientalium. & ex Hebræo
quidem, tum vulgari, tum in primis *Rabani Mauri*, atque *Bal-
meſii.*

Digitized by Google

meſti. Sed *Syriacum* etiam *Lomad*, fig. *Eſtrang.* ex ſitu iacente,
ita porrectum, vt fulcro gemino, pedi ſiniſtro adnexo augeatur,
originem ei dare potuit. 17. LY. Pars eius ſiniſtra in Alphab. ex 17.
MSC, prorſus eadem eſt. ſi vero adſurgentem ſuperius lineam in
circulum hemiſphærii dextri adegeris, en erit Hunno-Scythicum
Ely. Punctum, quo diſpungitur, diacriticum eſt, ad διάγνωσιν
τῦ *Eſ.* quod perexiguam crucem in medio gerit. 18. M. de iſto 18.
charactere plane exiſtimo, Syriacum *Mim* eſſe, ſed erectum, at-
que ventre in angulum deſinente, cauda vero, quæ prominebat,
arrecta, medio virgulæ, fulcro contigua. 19. N. Ipſiſſimum Orien- 19.
tale eſt, ſiue *Hebræum* quodcunque, ſiue *Syriacum*, ſiue *Samarita-
num*, ſed rotundum tamen. Tale in primis *Arabum* eſt *Nun fin.*
reſupinans aliquantum, & punctum gerens, quod in Hunno-Scy-
thico iſto *En*, ſuperiori characteris parti adhæſit, inque virgulam
abiit. 20. NY. molle, figura, quam nunc excuſſimus, eadem. 20.
eo differt, quod virgula ſuperiori illius oræ adpicta, hic ad oram
vsque inferiorem deſcendat, atque corniculantis formam lunæ,
videatur id æmulari. quod litteram emollit, & ab *En* diſcrimi-
nat. 21. O. quia Vocalis eſt, non eſt opus de eius geneſi diſpicere; 21.
idem & de diphthongo, 22. ō. accipiendum, quæ cum præcedenti 22.
eadem eſt, niſi quod diacriſeos cauſſa notulas quasdam adſciſcit. 23. 23.
P. hebraicum eſſe, meridiano ſole clarius eſt. nec enim video,
quid obſtet, cur Hebræum פ *Pe*, eiecto ventre, in noſtrum iſtud
characterem non potuerit abire. 24. R. examuſſim figuræ τῦ *Re* 24.
Arabici, abiecto, quod inferne gerit, puncto diacritico, reſpon-
det. 25. R. maius, eſt & iſtud Hebraicum *Reſch*, quale exhibet 25.
Alphabetum *Rabani Mauri*: quin & ex priore illo minore, quod
cum Arabico congruit, poterat enaſci, extremis litteræ in vncum
vtrinque deſinentibus, aſcendentem illum, deſcendentem hunc. 26.
26. S. cum ſibilo craſſiore. eſt huius analogon *Schin*, in laudato ſæ-
pius *Rabani Mauri* Alphabeto; ea tamen intercedente differen-
tia, quod illic pes vterque, vlnarum inſtar adſurgat, hic baſi ſua
ſubſiſtat. 27. SZ. ſono leniore. ab eadem origine deriuari poteſt. 27.
In altero Alphabeti exemplari, cuius ſupra memini, ad modum

Digitized by Google

28. fere Hebræorum *Reſch* pingitur. 28. T. exemplar, iam memora-
tum characterem hunc exhibet, fere tamquam Hebræum *Aiin.*
ſed reuera analogia eius in *Thau* Hebr. ex MSC. Rabani item, atque
29. Balmeſii, nec non in Samaritano Alphabeto quærenda eſt. 29. TY.
molle, ex eodem charactere, quem nunc dedimus, ortum, διαγνώ-
σεως cauſſa, pedem alterum adſumit, litteramque emollit. Præter Sa-
maritanum *Tau*, in nummis adhiberi ſolitum, conſpirat cum Aethi-
opum *Tavvi*; niſi quod iſtud crucis ſpeciem, magis perfectam, illud
noſtrum, obliquam præſentat. Alterum exemplar characterem
30. iſtum, cum duobus punctis, exhibet. 30. U. vocalis eſt, quemad-
31. modum & Diphthongus 31. ü. igitur ſine vlla cum aliis characte-
ribus contentione, transmittendæ, eo quod orientales, vocales
ſuas forma minutiore pingunt, vel adpingunt etiam. qua illi re a
32. nobis abludunt omnino. 32. V. reſpondet quodammodo τῷ *Vau*
Samaritano, quale ex nummis exſculptum, figuræ diuerſæ atque
33. ſitus, exhibet *Löſcherus*, l. c. p. 200. 33. *Z.* eadem fere eſt figu-
ra, qua Aethiopicum *Zai.* hoc tamen intereſt diſcriminis, quod
illud vnicam tantum habeat lineam tranſuerſam, eamque ab vno
latere characteris, ad aliud tendentem; iſtud contra triplicatam,
34. atque decliuem. 34. CZS. ipſiſſimum *Schin* ש Hebraicum, ſed
parte media infra baſin pendula. multum differt a Samaritano
Schin; Arabico *Sin*; atque Aethiopico *Saut*.

§. IX.

Hæc de Geneſi Alphabeti noſtri dixiſſe ſufficiat. illud monendum reſtat, vt Lector eruditus noſtros iſtos characteres, cum orientalibus collaturus, corpus litteræ, ab aduenticiis apicibus, quos ſubinde vel incuria, vel ornatus, vel ſcribarum etiam feſtinatio, inducit, ſollicite diſcernat. Nobis certum eſt, vti Linguam Hungaricam, ſic & litteraturam ejus veterem, ab oriente arceſſendam eſſe. Neque vero geneſin eius ex orientalium deductam characteribus, eo fine exhibemus, vt ſiue nobis ipſis, ſiue aliis nitamur perſuadere, ita, neque aliter enatas fuiſſe litteras Hunno-Scythicas: hoc enim adfirmare nimium foret; ſed vt doceamus,

Digitized by Google

vti in
s, im-
hico,
orari.
accu-
;is de-
m ha-
pendi
ı eſſe,
pro-
utua-
ptor,
rt. l.
luni-
curii
ı eſt,
m ad
EPH,
rum,
& ex-
lium
mus.
RNE-
lebr.
:ros-
, vi-
a ex-
ıcto-
am;
dra-
:un-
ISC.
bani
;ua-
um

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

28. ſere H
tum
ſed re
29. Balm
moll
σιως
mari
opun
noſtr
30. iſtum
31. mod
ribus
ſuas f
32. nobi
Sama
33. ſitus,
ra, q
illud
later
34. atqu
parte
Schi

nenc
orien
quo
nati
guai
arce
ctan
aliis
Hur

ceamus, fieri id ſaltem potuiſſe, & quod inde conſequitur: vti in vocalibus ipſis, innumeras linguarum Aſiaticarum reliquias, immo cohortes ſupereſſe; ſic & in ipſo Alphabeto Hunno-Scythico, exſtantiſſima characterum orientis veſtigia haud obſcure notari. Quapropter Lector eruditus, ſi forte nimis ei viſa fuerit hæc accuratio noſtra, eo facilius nobis veniam indulgebit, quo magis deprehendet, nihil nos adtuliſſe hactenus, quod non multam habeat veroſimilitudinem. atque iſtud circa huiusmodi ſcribendi genus, vbi res fere omnis conjecturis conficitur, plus ſatis eſſe, crediderunt ſemper eruditi. Quidquid huius rei ſit, felicius profecto Alphabetum noſtrum ab orientalium charactere mutuamur, quam diligentiſſimus ille Suedicarum Originum ſcriptor, RVDBECKIVS, Runas ſuas a Caduceo Mercurii, *vid. Atlant. Part. I. c. 38.* vt merito ei TENZELIVS obiecerit, ea ſe ratione non Runicos modo, ſed omnes omnium gentium characteres, ex Mercurii caduceo, facili æque opera, quam id a RVDBECKIO præſtitum eſt, deriuaturum, *Colloqu. menſt. anno 1690. menſe Maio.* Ceterum ad illuſtrandam hanc Alphabeti noſtri geneſin legi meretur STEPH. MORINVS Exercit. de Ling. primæua. P. II. c. X. p. 323. ſeq. Ceterum, vt characteres noſtros, L. B. cum orientalium æquius iuxta & expeditius poſſit contendere, *Diagramma litterarum orientalium Harmonicum*, chalcographi exſcriptum manu, hic exhibemus. Depromſi idem non parua ſui parte, ex Celeb. VALENTINI ERNESTI LÖSCHERI, tractatu eruditiſſimo, quem de cauſſis Ling. Hebr. conſcripſit, p. 224. Tabellam EDVARDI BERNARDI, qua is plerosque orbis eruditi characteres e Samaritano deductos exhibet, videre mihi haud contigit. qui vero ſola chalcographorum opera expreſſi circumferuntur, cumprimis ſuſpecti mihi ſunt, quod auctores, quorum diligentia collecti ſunt, tacent. Sed iam *Diagramma* noſtrum paucis erit illuſtrandum. *Primus* ergo ordo, quadratas Hebræorum litteras ſiſtit, quas & Biblicas dicimus. *Secundus*, quadrati Alphabeti exſtantiores habet variationes, in MSC. codicibus paſſim obuias. *Tertius* complectitur litteras *Rabani Mauri*, quas ille media in barbarie, Libro de inuentione lingua-

rum

rum, ſub nomine *Litterarum Moſis*, conſeruauit. *Quartus*, litteras continet *Abrahami Balmeſii*, quas ſcripturam עבר הנהר, *Transfluuialem*, nominat, in libro quodam, vetuſtate inueterato, repertam. *Quintus* exhibet Alphabetum vulgare Rabbinicum, quo hucusque vtuntur Iudæi, non Hebræam modo, ſed vulgares etiam linguas, ſcribentes, vid. *Buxtorf.* in Theſ. Gram. Hebr. *Sextus*, primæuas, & quod *Löſcheri* iudicium eſt, ſimpliciſſimas Hebræorum litteras habet, de quibus erudite diſſerentem videſis eundem, p. 225. ſeqq. quæ profecto Hunniaco noſtro Alphabeto, ſi non vbique reſpondent, quod ſperare nequeas, multam nihilominus geneſi eius lucem affundunt. *Septimus* Samaritanas proponit, ex veteribus Hebræorum nummis, exſculptas. *Octauus* Samaritanas vulgares; quemadmodum *Nonus* Syriacas; *Decimus* Arabicas; *Vndecimus* Aethiopicas continet, de quibus plena ſunt apud Grammaticos omnia. *Duodecimus* denique noſtrum Hunno-Scythicum promit, non prout ſe inuicem excipit, ſed prout tum nominibus Alphabeti Hebraici, tum etiam reliquorum characterum figuræ, reſpondet; quod idem de reliquis etiam, Arabico potiſſimum atque Aethiopico charactere, intelligendum.

§. X.

Secundum, pro genuina Alphabeti noſtri antiquitate, *argumentum*, a valore litterarum ducimus. Certum eſt enim, litteras latinas, quibus hodie vtimur, Linguæ Hungaricæ, ſecundum omnes eius ſonos accurate exprimendos, haudquaquam ſufficere. vnde factum, vt cum noſtri accuratam non minus ſcriptionem, quam pronunciationem ſermonis conſectarentur, & relictis, quibus olim vtebantur, characteribus, peregrinos iſtos adoptarent, nouas litteras comminiſci habuerint neceſſum: cuiusmodi quidem ſunt numero ſeptem: CZ, vel TZ; CS, vel TS; GY; LY; NY; SZ; TY, vbi videas ad vnius litteræ Hungaricæ ſonum vtcunque pronunciandum, duos Latinorum adhiberi debere characteres. quod tamen & ipſum inuentum, nondum ſatis pronunciationem

Digitized by Google

tionem refert indoli Hungariſmi plane reſpondentem. Taceo litteram CZS, numero in Alphabeto noſtro vltimam, ſono autem *τῶ Schin* Hebræorum multo duriorem, vt videre eſt in vocibus *Sir*, pinguedo, *Seb*, vulnus, *Sák*, ſaccus, &c. nulla litterarum Alphabeti Latini compoſitione ſatis commode enunciari poſſe. quod enim 'Z cum notula ſuperius, anteriori litteræ parti adpicta, defectum hunc nonnulli ſupplere conantur, parum proficiunt. Quid? quod iſtam ſcribendi rationem, ſi PETRVM PA'ZMA'NY, Cardinalem Hung. in operibus ſuis, vernacula ſcriptis; GEORGIVM KA'LDI, S.I. in Bibliis Hungaricis; Io. TSE'TSI, in Obſeruat. Orthogr. Hungar. denique FRANCISCVM PA'RICZ PA'PAJ M. D. in Dictionario Latino-Hungarico, excipias, ne milleſimus quidem aduertat, ſaltem non ignoret. Hinc enatæ ſunt in Orthographia Hungarica, generales illæ, & quia noſtris ipſorum non vtimur characteribus, neceſſariæ, ac maximopere vtiles regulæ: *Quibus litteris latinis ſonus Hungaricarum commodius exprimi poteſt, eæ debent adhiberi.* Porro: *Litteræ combinatæ, pro ſimplicibus ſumendæ ſunt, in collectione & pronunciatione earum.* Vide *Tsétſium* loco citato. Iam ſi Latinarum litterarum, quibus nunc vtimur, inopia, circa ſonum vocum Hungaricarum vtcunque exprimendum, tam eſt manifeſta, in eam concedamus ſententiam oportet, aliud ſupereſſe debere Alphabetum, quod Linguæ noſtræ indoli, & pronunciationi, reſpondeat accuratius: id quod de noſtro iſto, quod iam produximus, non omnino adfirmabimus prius, quam indagato eius valore, & ad ſcribendum Hungariſmum mira quadam aptitudine, prorſus demonſtrata, adſenſum lectori noſtro extorſerimus.

1. A. Concordat cum latinæ vocalis ſono, nonnunquam tamen mo- 1.
do *Kametz* Hebræorum, modo *Patach*, modo denique *Kometzchatuph*, æmulatur. Sic *Atya*, pater, quantum ad vocalium ſonum adtinet, in priori ſyllaba A. clarius legitur, ad modum *Kametz*, & in rapidiore pronunciatione, tamquam *Patach*, in
poſteriori vero obſcurius, more τȣ *Kometzchatuph*. 2. B. pro- 2.
nunciatur vti Hebræorum *Beth*, leni dageſch diſpunctum, ſic *Bor*, vinum, quod lego ſicuti בור. Alioquin inter B. & P. exſtans at-

que clara eſt apud Hungaros, prouti apud Italos & Gallos, dif-
3. ferentia: lenius enim *Bor*, vinum, & *Por*, puluis, ſonat. 3. CZ.
prima eſt littera, quam latino charactere nequimus exprimere.
Eſt vero ſibili tenuioris, ex colliſione C, ſeu T, & Z, quodammodo,
enaſcentis, acuti tamen magis, quam *Dſain* Hebræorum, aut
Zita Græcorum, vt videre eſt in vocabulis: *Czimbora*, pactio;
4. *Czimer*, inſigne, criſta. 4. CS, ſecunda conſonans, quam nobis
Alphabetum Latinum negauit, hinc etiam compoſitis ad expri-
mendum eam litteris, vtimur. Sibilo craſſiori eſt, quam Gallo-
rum vel Anglorum *ch*, in vocibus: *charles*, *church*, *chapter*.
Sed neque Græcorum σχ; Slauorum, Bohemorum & Polono-
rum č; Germanorum ſch/ ſonum litteræ Hungaricum, expri-
mere poteſt, quemadmodum patet, ſi ſcribere & pronunciare ve-
lis ſequentes voces: *Csap*, *Csép*, *Csip*. *Csomo*, *Csuf*, *Csörög*, &c.
adeo vix vllius Alphabetum linguæ, noſtræ poteſt accomodari.
5. 5. D. reſpondet τῷ Hebræorum *Daleth*, figura non minus, quam
valore. modo namque tenuem ſpiritum ſecum vehit, quemad-
modum *Daleth*, ſine *Dageſch* leni, vt: *Dühös*, rabidus; vbi, &
in ſimilibus, fere legendum eſt: *Dhübös*; modo legitur quaſi
Dageſch leni notatum, vt: *Darab*, portio, quaſi ſcriptum eſſet
דָּרָב. Ceteroquin inter D. & T. idem apud Hungaros, quod apud
Italos & Gallos, intereſt diſcrimen. aliter quippe pronuntio:
Deli, celebris, ſtrenuus; aliter, *Teli*, plenus: vt adeo notandi
hic ſint, qui D. Hungaricum emolliunt, & loco *gy* adhibent, vt:
Dyálog, pedes, *Dyilkos*, homicida, id quod perperam fit, cum
6. ſcribendum ſit: *gyalog*, *gyilkos*. 6. E. breue. poteſtate eadem
eſt, qua *Segol* Hebræorum, adeoque non male ei miniſtrat *e* La-
tinorum, vt: *Szerelem*, amor. Aliquando & τῦ *Catephſegol* na-
turam æmulatur; quando ſcilicet ſyllaba, quam adficit, rapidius
eſt pronuntianda, vt: *Szerelmetes*. vbi duæ quidem priores, ex
linguæ indole breues licet ſint, cum quadam tamen mora, poſte-
7. riores vero duæ, rapidius longe pronunciantur. 7. É longum.
valet idem, quod Hebræorum *Tzere*. Notamus hic obiter quan-
titatem vocalium, aliter ſe apud Hungaros, quam in aliis linguis,
habe-

Digitized by Google

ıabere. hic enim vocalis tum demum longa eſt, cum tono gau-
et acuto, quem ideo accentu etiam acuto notant; breuis, cum
o caret, vt: *Kérés*, petitio; vbi vtriusque ſyllabæ *é* longum
ſt: *Szerelmetes*, amabilis; vbi in omnibus quatuor ſyllabis *e* fit
reue, eo quod tono caret. Cl. *Fóris* Orig. Hung. Parte I, c. VII.
321. dubius licet de Alphabeto hoc noſtro, fuerit, non potuit
amen non probare, diſtinctum, E. breuis & longi, characterem:
ıſuper auctor eius (Alphabeti Hunniaci) *quisquis fuerit, recte
ocalem E, in duas vocales diuidit, ac vtrique peculiarem for-
ıam adſignat. Eſt enim vocalis illa gemini apud nos ſoni. ali-
uando enim ore quaſi apertiore profertur, vt accedat ſono ali-
uantulum ad A. eſtque tunc breuis, ſine accentu ſcripta, hoc
ıodo*, e. *aliquando vero minus aperto ore profertur, vt ſono
ıo quodammodo* ad I. *accedat, eſtque tunc longa, quæ pingitur
um accentu acuto, hoc modo*: é. Hactenus Fóris, quæ ſane po-
:ſtatem duarum iſtarum vocalium, pulchre illuſtrant. 8. F. ni- 8.
il habet, quod non latinum præſtare poſſit. illud omittendum
on eſt, inter F. & V. (quæ Germani latina pronunciantes, ſubin-
e confundunt, vt pro *veritas*, die Wahrheit/*feritas*, eos dicere
ıdias, id quod Hungarorum auribus moleſtiſſimum eſt) accu-
ıtum Hungaros diſcrimen, Latinorum, Gallorum & Italorum
ıore, obſeruare. Toto ſane cælo differunt *Fagy*, gelu, & *Vagy*,
pers. Verbi Subſt. *Vagyok*, ſum; *Fáj*, dolet & *Vaj*, butyrum.
G. durum ſonat, & ſine adſpiratione *h*. male ergo ſcribitur, 9.
egh, *pedigh*, cum ſine adſpiratione debeat: *meg*, *pedig*. Eſt vero
ıdem τ8 G. cum *Gimmel* Hebræorum dageſchato poteſtas. Huc
obſeruatio Cl. *Mólnár* Grammat. Hung. p. 30, obſ. ad lit. *G.*
:rtinet: *G.* inquit *ante* a, o, u, *proferunt Hungari ſicut Itali &
'alli: ante e & i, ſicut Germani.* 10. GY. tertia conſona, quæ ne- 10.
ıit Latinis litteris exprimi, habet aliquid commune cum *Gimel*
on dageſchato. Adſumit nimirum ad duritiem emolliendam y,
que tum liquidius ſonat, vt: *gyógyitás*, ſanatio. 11. H. ſpiritus 11.
ıturam & hic obtinet; niſi quod apud Hungaros, more orien-
lium, fortius & ſonantius efferatur, quam apud occidentales. ca-

Digitized by Google

dem itaque poteſtas eius fuerit, quæ Hebræorum ה *He*; lego
12. enim *Harang*, æs campanum; *bóhér*, carnifex. 12. I. paruum
reſpondet *Chirek paruo* Hebræorum; hinc & ſine exſtantiori
mora legendum, vt: *kitſiny*, paruus. eſt autem vocalis, incipiens,
13. promouens, & finiens ſyllabam. 13. I. magnum poteſtatis
eiusdem eſt, cum *Chirek magno*. proinde cum I. paruo, aut cum
Y. confundi haud debet. Ante vocales: *a. e. o. u.* locum habet, &
ſonat inſtar *Jod* Hebr. vt: *Jámbor*, probus; *jel*, ſignum; *jó*, bo-
14. nus; *juh*, ouis. recte ei forma τȣ̃ *jod* latinorum tributa eſt. 14. K.
idem ſonat, quod Hebræorum ק, כ, ח quorum etiam loco in vo-
cibus peregrinis adhiberi ſolet, vt: *Kerubim*, *Kriſtus*, *Kál-
déusok*: littera, vti apud reliquos orientales, ſic apud Hungaros
noſtros, vſitatiſſima. Differt a G. duro; ſcribo enim: *Kölök*, ca-
15. tulus, non *gölök*. 15. K. *finale*, quemadmodum antegreſſum *ini-
tiale* & *medianum*, dici poteſt. imitantur hic quoque orientales,
apud quos finalium vſus creberrimus eſt; ſed valor elementi, vtro-
bique idem eſt. Cur autem K. in P. mutarint recentiores Hun-
gari, in Coniunctione Cauſſali, *Kedig*, *Kediglen*, vt iam ſcribant:
pedig, *pediglen*, *autem*, *ſed*, *vero*, equidem nequeo reperire.
IOHANNES SYLVESTER, qui anno M D XLI. floruit, in verſione
Noui Teſtamenti, vbique habet *Kedig*. neque aliter recentior
verſionis eiusdem editio, quæ MAXIMILIANO II. imperante, excu-
ſa eſt. Certe *Cardinalis* PÁZMÁNY, eodem modo ſcribere, rarius
16. licet, nihil addubitauit. 16. L. valoris eiusdem, quem in linguis
17. aliis obtinet, ſed 17. LY. *quarta* Hungarorum conſona eſt, cui ex-
primendæ geminus character, *Ly*. vix ſufficit. Sonum habet liqui-
diorem, & profertur lingua palato mollius alliſa, vt: *Kevély*, ſu-
perbus: vbi τὸ Y. non littera eſt, ſed nota diacritica, quæ molliorem
18. τȣ̃ L. ſonum innuit. qua de re infra. 18. M. nihil habet, quod non
19. aliis linguis ſit commune. 19. N. durum. ſonat, vt *Nem*, *non*,
20. item, *genus*. at, 20. NY. molle, pronunciationem requirit moli-
orem, eſtque conſona *quinta*, cui exprimendæ Alphabetum lati-
num haud ſufficit, vt: *nyak*, collum. Obſerues autem τȣ̃ *y*. idem
hic, quod ad litteram *Ly*, officium eſſe, vt adeo vitioſa fuerit
lectio: *niak*. enimuero *y*, præter emolliendi officium, otioſum eſt.

21. O.

21. O. Reſpondet τῷ *Cholem* Hebræorum, cum pronuntiatur tardius; ſed in proſodia rapidiore, poteſtatis fere eiusdem eſt cum *kometzchatuph*: quod poſterius, latina vocalis præſtare nequit. 21.
22. ő. diphthongus, ex *e*, & *o* coalita. effertur labiis collectis, eſtque medio ſono inter *e* & *o*; videtur Germanorum ö reſpondere in vocibus König/ rex, frölich/ lætus. Subinde ob typorum defectum ſcribitur *eo*, vel diphthongo latinorum *œ*. quibus omnino ambagibus non indigeremus, ſi mallemus auita ſcribendi ratione vti. Ceteroquin diphthongus hæc rite pronunciata, decus quoddam linguæ Hungaricæ conciliat, eſtque, vel *quaſi breuis*, vel κατ' ἐξοχὴν *longa*. quia ſcilicet diphthongi longæ ſunt tam Græcis quamque Latinis, adde & Hungaris; *quaſi breuem* tum appello, cum ſine exſtanti mora profertur, ut: *Gyöngyös*, gemmatus, & nomen oppidi in Comitatu Heueſienſi: vti contra *longa* κατ' ἐξοχὴν tunc eſt, cum longiorem ad pronunciandum moram requirit, vt: győző, vincens. quam differentiam negligi incurioſius ab ipſis etiam viris eruditis, conqueritur *Cl. Tsétsi* l. c. p. 2. & multum ſane intercedit diſcriminis, inter *tőr*, laqueus, & *tör*, frangit: & alia multa. quod diſcrimen, hodie omnino neceſſarium, in vetuſto alphabeto noſtrate neglectum ideo eſt, quod pronuntiationis veterum alia forte ratio fuit, quam quæ iam obtinet. 22.
23. P. adſpirationem in pronuntiatione omnem reſpuit, vt: *part*, collis, littus: hinc *Ph* ignorant Hungari; ſed in peregrinis etiam loco eius F ſimplex adhibent, ſic: *Filoſofia*, pro Philoſophia; *Pafus*, Act. XIII, 6. pro *Paphus*, quod Hungaris ridiculum ſonaret: *ſacerdotis caro*. In iis igitur vocibus, in quibus ſe *p*. & *h*. mutuo proximeque excipiunt, ſingulæ ad diverſas vocales ſunt referendæ, vt: *Pap-hoz*, ad ſacerdotem; *nép-hez*, ad populum. 23.
24 R. ſonat rigide, ſine adſpiratione tamen, quam conſtanter reſpuit: quod ſi autem ſpiritum *h*, ſequi contingat, is cum R. noſtro nequit vnam conſtituere ſyllabam, vt: *ember-hez*, ad hominem, *tur-ha*, phlegma. quod & ipſum ex indole gutturalium apud orientales, quas *Reſch* quoddammodo æmulatur, repetendum eſt. 24.
25. R. maius, poteſtate nihil variat. 25.
26. *Sch*. eius- 26.

Digitized by Google

dem poteſtatis, cum *Schin* Hebræorum; *ch* Anglorum & Gallo-
rum; ſſ. Slavorum, Bohemorum, & Polonorum. ſic *Sár*, lutum, le-
go ac ſi ſcriptum eſſet שׁאר. latino certe charactere nequit commo-
de ſatis exprimi. namque Latinorum S. modo ſibilat denſius, vt an-
te conſonas plerumque: *ſcamnum, ſpectrum, ſtultus*, &c. modo le-
nius, quomodo fere ſemper ante vocales, vt: *Sal, ſelectus, ſilen-
tium, ſol, ſuſurrus.* quæ obſeruatio, quia linguæ Hungaricæ, eiusque
proſodiæ, haud congruit, fit, vt nec ipſa congruat littera. Namque,
quod S. ſolitarium craſſius volunt ſonare noſtri, illud non tam natu-
ræ litteræ, quæ, quod iam monui, indifferens eſt, quam illorum ar-
bitratui tribuendum, qui priſca ſcribendi ratione ſpreta, characte-
rem latinum ciuitate donarunt. Hinc eſt, vt magna Hungarorum
pars, S. cum latine loquuntur, magno venuſtatis intertrimento,
denſiore ſemper ſibilo pronuncient, etiam vbi cum leniore debuiſ-
27. ſent. ita *Sol*, legunt *Schol* &c, inficete! 27. Sz. ex Hebræo charactere
Sin & *Samech* eidem reſpondet. cui iterum ob ambiguum τȣ̃ S.
apud latinos ſonum, elementum latinum haud ſufficit. Medentur
huic defectui adpoſito Z. quod litteram tenui mollique ſono effe-
28. rendam moneat, vt: *Szo*, vox, *Szász*, ſaxo. 28. T. valore eodem,
quo *Thau* Hebraicum, adſpirationis tamen ignarum, vt: *Torok*,
29. guttur, non *Thorok*. 29. TY. *vltima* conſona, quæ, quod ſonos
vocum Hungaricarum haud exprimere poteſt: adjuncto *y* emol-
litur, vt: *Fattyú*, nothus; *Sarkantyú*, calcar. Peculiare eſt,
quod hæc conſona, numquam vocem inchoet. quod enim
quidam ſcribunt: *tyuk*, gallina, erroneum eſt.. Aemulatur idem
Ly. quoque, & male iterum nonnulli, *lyuk*, foramen. vtrobi-
30. que enim ſimplex conſona obtinet, *Tuk*, *Luk*. 30. U. ſonat ad
modum *Schurek* Hebræorum, idque modo *clarius* & cum ac-
centu acuto, vt: *Kút*, fons, puteus; modo *obſcurius*, & ſine ac-
31. centu, vt: *Kutya*, canis. 31. ü. plane concordat cum *Kübbutz* Hebraico, & *u* Gallorum, vt: *für*, coturnix. eſt autem diph-
thongus ex *e* & *u*, itemque *i*. enaſcens: quam ob rem dum lati-
nis litteris pingitur, ita ſcribi vult Cl. Tse'tsi, vt ſuper U, colloce-
tur *e*, quoddam exſile, hoc modo ů. Alioquin, quæ de *quantita-*

te τȣ̃

Digitized by Google

te τῦ ö dicta ſunt, hic etiam repetita volumus. dicimus ſane: *Füſt* fumus, & *Füz*, ſalix. 32. V. mollius ſonat, ad modum *Vau* 32.
Hebraici, vt, *vagyon*, eſt. hinc cum multis aliis indiciis, Germanum hungarice loquentem poſſis dignoſcere, tum iſtius potiſſimum conſonantis pronunciatione: namque pro *vagyon*, ille dixerit, *fagyon*, quod aliud ſignificat, *ingelu*; pro *virág*, flos, *firág*.
33. Z naturæ & poteſtatis τῦ *Dſain* Hebræorum, purioris tamen 33.
nonnihil ſibili, vt: *Zab*, auena, *zürzauar*, confuſio. 34. TZS. 34.
littera ſolis Hungaris propria, diſtincta ab S & Z. accedit fere ſono Bohemorum ĵ. ſed niſu tamen fortiore, & ſibilo craſſiore pronunciatur. ægerrime ei ſufficiunt tres iſtæ latinorum conſonæ *Tzs*. Certe huius inopia characteris, multi in orthographiam Hungaricam, errores irrepſere, quos ſerio notat laudatus *Tsétius*. Hæc de litterarum valore ſufficiant. Atque hinc æſtimari poteſt, conſtare ſibi, quod ſub initium paragraphi huius monuimus conſulto, nimirum, quia mancum eſt latini Alphabeti, circa voces Hungaricas, per omnes ſuos ſonos rite exprimendas, miniſterium, alium ſupereſſe debere characterem, huic fini, non commodiorem modo, ſed prorſus etiam ſufficientem. qualis, quod noſter iſte, quem iam exhibuimus, ſit omnino, partim ex iis, quæ in hanc rem adtulimus, certum eſt, partim, quæ dicenda ſuperſunt, vltra omnem veroſimilitudinem certum erit exploratumque.

§. XI.

Venio nunc ad *tertium*, quod pro Hunniaco iſto charactere facit, *argumentum*, inde repetendum, quod iis litteris, more orientalium, caret, quarum miniſterio deſtitui haud poſſunt Europæi. Sunt vero huiuscemodi, in ſimplicium conſonantium numero, C, Q, CH. ſiue χ, PH, ſiue φ; atque inter duplices, X, & Y. Et C. quidem littera mere latina eſt, non orientalibus modo, ſed Græcis etiam, quibus alioquin multa cum Latinis familiaritas, ignorata. Eius loco Alphabetum Hunniacum Cz. ſubſtituit, quæ quidem conſona, omnibus promiſcue vocalibus iuncta, ſonum ſemper retinet eundem, vti ſequentium pronuntiatione

ſylla-

ſyllabarum, docetur: *Cza*, *Cze*, *Czi*, *Czo*, *Czu*, *Czö*, *Czü*: cum contra apud latinos C. pro vocalium, quibus iungitur, diuerſitate, ſonum mutat, vt videre eſt in iſto exemplo: *caput calatum cicatricibus*, *corpus curuum*. Enimuero ante A. O. V. vbi C. Latinorum durius ſonat, Hungari K. vtuntur, idque Græcorum, quin & Hebræorum, Syrorum, Chaldæorum & Arabum ritu. Non me quidem fugit, nonnullos & inter Grammaticos Germanos, conſonam C, a ſuo Alphabeto velle excludere, *confer Inſtitutiones meas Linguæ Germanicæ p. 2. ad litt.* C.; eo quod nulla ſua vox natiua, ſed peregrinæ modo a C. incipiant, vt Chryſoſtomus / Cicero / Caliſtus; ſed vero nugas agunt. Sane vſus eius in medio vocum vitari nullo modo poteſt, vt: machen / lachen &c. ſed ne in fine quidem, vt: Bauch / Rauch / Loch &c. eſt ergo illud inter ſingularia Linguæ Hungaricæ connumerandum. *Secunda* Europæorum conſona, quam Alphabetum Hunniacum ignorat, eſt Q. hanc enim, ſi in vocibus alienigenis occurrat, adſcititio charactere, in Kv. reſoluimus, ſic: *Kvártus*, Rom. XVI, 23. *Kvártély*, *Kvietantzia*. Et ſane, nullam natiuam vocem Hungaram reperias, quæ ab iſta conſona inchoetur, ſed ne ſyllabam quidem, quæ ſiue incipiat, ſiue deſinat eadem. *Tertia*, quæ a charactere noſtro exſulat, conſona, eſt CH. ſeu χ Græcorum, cuius vice, ſimplex ponunt K. procul omni adſpiratione. Sic cum LXX. habent χάλεβ, nos ſcribimus *Káleb*, Num XIV, 6. Sed nec Hebræorum *Chet*, atque *Caph* non dageſchatum, aliter exprimunt noſtri, quam miniſterio τȣ̃ K. ſimplicis. id quod ego ab indole plagæ Septentrionalis, quam incolebant Hunni, veteres illi, prouenisse exiſtimo; cum planum ſit, Aquilonares, vti linguæ tardioris & impeditioris eſſe, ita in pronunciando non omnes orientalium ſonos, eos potiſſimum, quos rauco e gutture elidunt, exprimere poſſe, videſis Christophori Besoldi Philol. Diſcurſum de Nat. Pop. & de Lingu. Ortu & Immut. Cap. IV. p. m. 13. & c. XV. p. 73. Hinc & Suecis, Danis, Noruegiis, & Gentibus reliquis, quæ Aquilonem habitant, rariſſimus, ſaltem bene parcus τȣ̃ CH. vſus eſſe deprehenditur; familiaris contra τȣ̃

K. quod

Digitized by Google

K. quod harum linguarum periti norunt. At enim noſtri ſubinde, loco *ch*, in vocibus peregrinis, *h* ſimplex, idque lenius, non raro adhibent. ita: **Chorwat**/ ſcribunt, *Horvát*, **Kelch**/ ſcribunt, *Kelh*. Olim quidem, Gallos imitati, *Ch*, loco *Cs*, promiſcue in nominibus propriis, & appellatiuis adhibebant. ita vetus Chronici Hungariæ M. IOHANNIS THVROCZ, editio, quam *Erhardus Ratold*, ſumtibus *Theobaldi Feger*, conciuis Budenſis, cum dedicatione ad Regem MATTHIAM, Auguſtæ excudit A. 1483. habet: *Cháki*, *Chanád* &c. loco *Csáki*, *Csanád*; ac codex Euangeliorum peruetuſtus: *choda*, miraculum, *chak*, tantum, loco *csoda*, *csak* &c. at meo quidem arbitratu, corrupte, cum *Ch* non idem, quod noſtrum *Cs*. valeat; certe ab Hungarico labio prorſus abhorret. Hungari profecto, inculti illi, & a ſermone gentium exterarum alieni, cum linguas diſcunt peregrinas, Germanicam in primis, diu cum iſto *CH*, dum illud apte poſſint pronunciare, colluctantur, atque eius loco ſubinde K. purum ſubſtituunt. Audias quippe, **ich/ mich/dich/Koch/Loch** **ꝛc.** pronunciari, **ik/mik/dik/Lok/Kok**. adeo videlicet ſermonis Hungarici naturæ repugnat, raucum iſtud *CH*. vt cum multis aliis, tum iſto cum primis ſono, Hungarus, Germanica loquuturus, ſe prodat omnium facillime: haud ſecus, quam Ephraimitæ illi, quos pronunciatio vocabuli שִׁבֹּלֶת hoſtibus prodebat, Iud. XII, 6. *Vltima* denique conſona, quam ignorat Alphabetum noſtrum, eſt PH, ſeu φ Græcum. huius loco vtimur F. ſimplici, ſed ſine adſpiratione, exempla ſuperiore paragrapho, ad litteram P. exhibuimus. Iam quod ad duplices adtinet, caremus τῷ X. & Y. illud enim ſi in peregrinis vocabulis eſt adhibendum, per *Ks* ſcribimus, vt *Artakserkses*, Esd. IV, 7. atque ſic fere Chaldaica: אַרְתַּחְשַׁשְׂתָּא Artachſaſta; vt indicio ſit, conſonam hanc Græcorum & Latinorum, a litteris orientalium arceri omnino debere: *Feliks*, Act. XXIII, 26. (quod tamen editiones Bibliorum pleræque, ſed vetus etiam anni 1541. perperam negligunt:) ita Syrus, ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ: *Aleksánder*, 1. Tim. I, 20. quomodo iterum Syrus, ܐܠܟܣܢܕܪܘܣ: vtut ament hic Aphæreſin Hungari: *Sándor*, loco *Alexander*, quo nimirum grauem ſibi conſonan-

tis hujus ſonum declinent. *Ypſilon* denique litteræ vim apud Hungaros plane non obtinet, licet vſus ſit familiariſſimi, ſed qui ſolius admodum notæ diacriticæ vices obit: conſonantibus namque *g*, *l*, *n*, *t*, iunctum, easdem emollit, vt: *gyalázat*, ignominia; *nyavalya*, morbus; *atya*, pater. Hinc eſt, quod veteres, neglecto τȣ *Ypſilon* miniſterio, litteras emolliendas, virgula quadam, ſuperius adſcripta, notare maluerunt. Ita vetus librorum Noui Fœderis codex, interprete Iohanne Sylvestro, editus, vbique habet: g', l', n', t', id vero, pro illius indole ætatis, rudi charactere. Alter codex, ſed is tamen recentior aliquanto, loco *Ypſilon*, conſonam *Jod*, eamque ſubinde geminatam, adhibet, vnde colligas omnino, litteram *y*. non eſſe Hungaricam, meritoque ei locum in Alphabeto noſtro negatum eſſe: quapropter, in vocabulis peregrinis, ſed vſu tamen hungaris, per I. ſimplex ſcribitur: *Tirus*, *Sidon*, *Babilon*. quid? quod nulla detur vox Hungaris natiua, quæ ſiue ab *Ypſilon* incipiat, ſiue terminetur eodem.

§. XII.

Quartum iam, quod MSCpta ſuppeditant, pro Alphabeto noſtro argumentum eſt excutiendum. Et eſſet id ſane validiſſimum, ſi qua cura, ſtudio, animique contentione in ea inquiſiuimus, facilitate eadem, ſaltem quædam fragmenta, tanti præmium laboris, reperire potuiſſemus. Salutaui Daciæ viros eruditos, imploraui Hungarorum, doctrinæ fama celebrium, opem atque ſymbola; perſuadere pluribus paſſim laboraui, vt ſi quid haberent, quod veterem litteraturam Hunno-Scythicam poſſit illuſtrare, in commune conferrent; neque paterentur, cum maiorum ſuorum gloria, litteras quoque interire. cuius rei teſtis eſt, præter priuatas epiſtolas, fere nimias, programma meum, *Berolini* anno 1713. editum, & *Actis Erudit. Lipſ. Germ. Tom. XVII.* inſertum, vt eruditi patriæ viri, & qui id ad ſe pertinere exiſtimarent, ſymbolis ſuis, hanc meam diſſertationem, fulcirent atque promouerent. Sed vero, littus, quod aiunt, araui, ſilentibus aliis, nec litteras meas, quod tamen æquitas imperare facile poterat, reſponſione dignantibus;

aliis

Digitized by Google

aliis prætexentibus ſexcenta alia, quæ ſiue ipſos ab iſtarum rerum indagine abſtraherent, ſiue mihi ipſi, qui genus iſtud ſcriptionis, animi cauſſa ſuſceperam, calamum de manu elidere potuiſſent. Profecto, cum multa alia, tum iſtud maxime gentis noſtræ malum eſt, cum quo illa miſere colluctatur, vt rerum ſuarum, quæ decus ſibi atque ornamentum poſſent adferre, ad turpem vsque ignauiam, ſit incurioſa; quin monitores, qui aliarum gentium populorumque exempla ad imitandum ſibi proponunt, impatientius ferat. Non inficior bellorum illos tumultus, quibus ſæpe concutitur Hungaria, fluctuantem præterea rerum noſtrarum ſtatum, deiicere poſſe eruditorum virorum animum, ab iſtiusmodi deſtinationibus; at enim vero ita exiſtimo, nullum occupationum genus ad tolerandam publicam calamitatem, efficacius eſſe, quam litterarum ſtudia. Sed ſatis eſto querelarum, vbi vix medelæ quidpiam expectare poſſis. Vltima ergo ſpes, quæ me non vulgariter ſuſtentabat, in Auguſta Vindobonenſi Bibliotheca, poſita erat. plane enim perſuaſeram mihi, fore, vt inter *Coruinianæ Bibliothecæ* rudera, quæ huc ſunt delata, ſaltem quædam characteris noſtri fragmenta, reperiantur. At vero

Fallit ſpes miſerum ſua!

Etenim, admiſſus ad Bibliothecæ adyta, atque illic acceptus liberaliter, cum de iis, quæ ad propoſitum hocce meum pertinere, videbantur, curioſius iuxta & impenſius apud auguſtæ Bibliothecæ Præfectum, virum, vti eruditione ac muneris dignitate, ita ſingulari humanitate illuſtrem, Dn. Ioh. Benedictvm Gentilotti ab Engelsbrvnn, Equitem Tridentin. perquirerem, id reſponſi tuli, vacuam iſtiusmodi antiquitatibus Bibliothecam Cæſaream eſſe, neque, niſi proximi ſeculi ſcripta, eaque pauca, quæ ad hiſtoriam pertineant Hungaricam, adſeruari. Interim MSCtos codices, Græcos & Latinos, Coruinianæ Bibliothecæ cimelia, prolixe perluſtraui, vt neſciam, magis ne tanti Regis ſuaui quadam recordatione, an theſauri huius librarii inuſitato ſpectaculo, animum pauerim. Sed cauſſam huius tantæ inopiæ, ſi quæras, hanc equidem inde arceſſo, quod cum Matthias Rex, Italorum

F 2 com-

commercio inductus, Latinos atque Græcos codices, vt plurimum, haud quidem iniuria, æſtimaret ac conquireret, domeſticorum, vt fere fit, oblitus ſit. homines enim plerumque, dum appetunt peregrina, faſtidiunt ſua. Accedit illud quoque, poſt agnitum Chriſtum, omnia, quæ publice gerebantur, in latinas litteras fuiſſe relata: Hungarico charactere aut idiomate, qui aliquid ſcriberet, erat nemo. Et fuerint ſane codices manu exarati in celeberrima Bibliotheca Budenſi, bene numeroſi; procliue tamen erat, eos, partim illa vrbis, per inſultum, occupatione, vel conuelli ac interire, vel aliorſum deportari; partim ante hac, dum tyrannus vrbe potitus eſt, Conſtantinopolin deferri. vt adeo, ſicubi locorum, in hac profecto regia Turcica, quemadmodum reliquarum linguarum, ſic Hungaricæ etiam, codices MSC. quærendi omnino eſſent.

§. XIII.

Sed enim vero, quæ ſit barbaricæ gentis, in adſeruandis huiusmodi cimeliis, ſiue deſidia, ſiue inuidia, facile erit ad coniiciendum, ſi incomparabilis Petri Lambecii querelam, de iſta Turcorum maleuolentia, æſtimauerimus, quæ exſtat Comment. de Biblioth. Cæſ. Lib. II. c. IX. de itinere Budenſi, quod clementiſſimo S. Cæſareæ Maieſtatis iuſſu peregit, A. 1666. a d. 25. Febr. vsque ad d. 24. Mart. propter reliquias celeberrimæ Bibliothecæ, Regis Hungariæ, Matthiæ Corvini. Adſcribam pleraque omnia, quæ momentum trahunt, eo quod liber rariſſimus eſt. Sequenti, *inquit*, demum *die tertio* Martii, paullo ante meridiem, feliciter peruenimus Budam, & ſtatim poſt aduentum, magna lætitia admiſſi ſumus ad Excellentiſſimum Dn. Legatum Cæſareum (*fuit is Illuſtriſſimus Dominus Walterus Comes Leslæus*) cui ego poſt gratulationem de felici ex aula Conſtantinopolitana reditu, litteras, quas a S. Cæſarea Maieſtate adtuleram, debita obſeruantia reddidi. Itum deinde eſt ad prandium; quo finito, curauit Dn. Legatus me ſolum ad ſe accerſiri in cubiculum, indicauitque mihi, id omne, quod ſibi Conſtantinopoli de Bibliotheca Budensi a

Turcis

Turcis eſſet promiſſum, meram eſſe fraudem, merumque mendacium; nec impetrandæ tantum iſtius Bibliothecæ, ſed & vix videndæ ſpem vllam ſupereſſe; omnem tamen ſe adhibiturum diligentiam, vt abſconditus ille theſaurus litterarius, mihi ſaltem monſtraretur, ſi plus nequiret obtineri. *Paucis interiectis. Die quinto* Martii, poſt meridiem, cum vno Ianizzaro, & famulo quodam Chriſtiano, Turcicæ linguæ paullulum perito, ſecuritatis & interpretationis cauſſa, in ſocietatem adſumtis, contuli me clanculum ad perluſtrandum palatium Regis Hungariæ, MATTHIÆ CORVINI, maxima ex parte nunc ruinoſum & fœde deformatum, licet priſtinæ magnificentiæ eius ſatis multa, ſatisque perſpicua ſuperſint indicia. Nihil vero tum mihi gratius fuit, quam videre per occultum quoddam foramen, cryptam illam, ſiue cellam ſubterraneam, in qua Bibliothecæ Coruinianæ reliquias aiebant adſeruari. Quo, non absque Turcarum, qui curioſitati meæ ſuperuenerant, indignatione, proſpere peracto, redii ad hoſpitium, & mox etiam ad Excellentiſſimum Dn. Legatum, quem de tota re geſta feci certiorem, ſimul etiam viciſſim ex eodem intellexi, interpretem Cæſareum, Dn. Henricum Iulium Woginum, aliquoties iam a ſe miſſum eſſe ad Vezirium Budenſem, pro impetranda licentia videndæ Bibliothecæ Coruinianæ, ſed eum ſemper cum repulſa ad ſe rediiſſe. Hinc igitur *die ſexto* Martii, ipſe Dn. Legatus, cum apud Vezirium ad priuatam audientiam eſſet admiſſus, inter alia hoc quoque negotium inſtanter vrſit, & tandem hoc generale, ſeu potius ambiguum accepit reſponſum, ſibi, & aliis ſeptem, quos e comitatu ſuo delecturus eſſet, mane ſequentis diei, permiſſum iri, vt antiquum palatium Coruinianum pro lubitu inuiſerent, & contemplarentur. Proximo itaque *die ſeptimo* Martii, & quidem conſtituta hora matutina, equitauit Dn. Legatus in arcem Budenſem, adſumtis præter me, & Dn. Woginum, Illuſtriſſimis Comitibus, *Dn. Henrico Arundelio; Dn. Iohanne Ioſepho ab Herberſtein, Dn Georgio Sigismundo de Trautmansdorff, Dn. Iohanne Carolo Pálfi, & D. Iacobo Leslæo,* fratris ſui filio. Perluſtrauimus deinde totum palatium Regis Hun-

Hungariæ, Matthiæ Corvini, non abſque ſingulari admiratione pulcherrimi proſpectus in Danubium, & oppoſitam Vrbem Peſthanam. Poſtquam autem peruentum eſt ad illam cryptam, in qua reliquiæ Bibliothecæ Coruinianæ adſeruabantur, contra omnem opinionem, facultas intrandi denegata eſt, hoc falſo prætextu, quod ille locus, publico ipſius magni Vezirii ſigno eſſet obſignatus, nec ſine ſpeciali eius mandato, ſub pœna capitis, a quoquam poſſe aperiri. Sic ergo a Turcis deluſi, præcipua re infecta in hoſpitium reuertimus. *Pergit deinde.* Die *octauo* & *nono* Martii, denuo actum eſt cum Vezirio Budenſi, de videndis Bibliothecæ Coruinianæ reliquiis, qui cum haud obſcure indicaſſet, veram nuperæ repulſæ cauſſam fuiſſe, nimiam multitudinem eorum, qui ex legationis comitatu, contra conſtitutum numerum, & præter voluntatem ipſius Dn. Legati, per varias obliquas vias in arcem tunc confluxerant, tandem tamen promiſit, ſe permiſſurum, vt Dn. Legatus, cum aliis tantum duabus perſonis, quas ſecum adducturus eſſet, in cryptam illam librariam intromitteretur. Quo accepto reſponſo, iuſſit Dn. Legatus, quam maxime illud celari, vicemque ſuam fratris ſui filio, *Dn. Comiti Iacobo Lesleo* demandans, præcepit, vt is *decimo* Martii, & quidem ſummo mane, ne reliquo legationis comitatui quidquam innoteſceret, cum me, & interprete Dn. Wogino, ſe conferret in arcem Budenſem, & an Turcæ tandem aliquando tunc ſeruaturi eſſent fidem, vltimum experiretur. Quo ſecundum præſcriptum ordinem fideliter facto, inuenimus duodecim circiter, vel quindecim Turcas, in atrio palatii Coruiniani nos præſtolantes; a quibus, cum ſatis officioſe eſſemus excepti, reſerata ſine mora eſt, ſupra memorata crypta, deſcendimusque in eam dextram verſus per ſcalam lapideam, viginti circiter graduum. Lumen autem ſubminiſtrabat vnica tantum feneſtra, ſemicircularis, ſatis magna, quæ in auerſa parte collocata, reſpondebat ianuæ. In hac igitur crypta, tamquam cyclopico quodam antro, inuenimus quidem celeberrimum illum, & ab omnibus eruditis, tam diu, tamque vehementer deſideratum Bibliothecæ Coruinianæ theſau-

Digitized by Google

theſaurum, *ſed nec fama, nec exſpectationi reſpondentem.* Conſtabat enim is in vniuerſum, trecentis circiter, vel ſummum, quadringentis libris, cumulatim in terra iacentibus & puluerulento ſitu ac ſqualore coopertis, vt nullum eius generis vel fœdius, vel miſerabilius ſpectaculum vmquam viderim. Poſtquam autem nonnullos hinc inde arreptos, & ex fœtore protractos; aperuimus, ſtatim apparuit, pleroſque eorum eſſe impreſſos, & exigui, aut nullius fere pretii. Neque vero dubitandum eſt, quin ipſos Turcas arcani huius detecti puduerit, nec alia fuerit grauior cauſſa, cur iidem in concedenda iſtius loci licentia adeo ſe præbuerint difficiles. Ceterum ne labor noſter, camerinæ illi impenſus, omni prorſus careret compenſatione, haud grauatim nobis permiſſum eſt, vt ex paucis codicibus manuſcriptis, quos impreſſis libris permiſtos obiter inſpexeramus, ſeligeremus tres, & ad perpetuam rei memoriam nobiscum auferremus. *Hactenus* LAMBECIVS. Recenſet poſtea tres illos codices, quorum *primus* erat membranaceus, in quarto, vt vocant, maiori, continebatque *S. Gregorii Nazianzeni Sermones apologeticos nouem*, e græca in latinum translatos; *ſecundus* erat membranaceus in folio, continebatque *S. Auguſtini ſermones de verbis Domini*; tertius denique erat chartaceus in quarto, continebatque Iohannis Epiſcopi Quinque Eccleſienſis, qui tempore Regis Hungariæ MATTHIÆ Coruini claruit, *Poëmata* quædam latina miſcellanea. Quis hinc coniicere nequeat, quæ apud maleuolentiſſimam gentem, monimentorum noſtratium fata eſſe oportuit. Legi præterea meretur IVLII PFLVG de Fatal. Biblioth. Budens. ad VITVM LVDOVICVM a SECKENDORFF, epiſtola, in qua tum fata Bibliothecæ, tum deportatorum Viennam librorum, catalogus recenſetur.

§. XIV.

Igitur licet ſpe, quæ me vnice ſuſtentabat, aliquod litteraturæ huic noſtræ, ab Auguſta Vindobonenſi Bibliotheca, præſidium, ſubnaſci poſſe; exciderim; euolui tamen P. LAMBECII vaſtos de ea Commentarios, diligentia, vtut animi cauſſa ſuſcepta, haud tamen

men deſultoria, ſi quæ fortaſſis veſtigia in iſto reconditiſſimarum rerum theſauro, notare poſſem, inque vſus meos transferre. Sed hic quoque operam luſi, euenitque mihi, quod his ſolet, qui ab opum alienarum contemplatione, nihil referunt, præter triſtem alienæ felicitatis memoriam, votaque auara. nimirum optabam, vt vel milleſima accurationis illius pars, rebus patriæ noſtræ antiquis, impenſa fuiſſet olim, aut iam quoque impenderetur, quam homines eruditiſſimi, magna virium contentione, ſæpe in negotiis viliſſimis profecto, ponere nihil dubitarunt. Eſt enim illud, ſi priuata interponere vota liceat, quod ad illuſtrandas res noſtras hucusque fuit deſideratum, viri nimirum antiquarum rerum ſtudioſi, quorum opera omnis in eo verti deberet, vt quæ ſunt obſita vetuſtate atque tenebris, in lucem illi protraherent, dubiis fidem adſtruerent, finem facerent fabuloſis, decusque adeo gentis, non tam aliunde emendicatis, quam erutis domi monimentis, colluſtrarent. quod, quia ſumtus & auctoritatem hominum priuatorum ſuperat omnino, alendi eſſent viri, ſpartæ huic exornandæ, idonei, iisque tantum adtribuendum redituum, exiſtimationis fideique, quantum ad harum rerum procurationem ſufficere poſſit. Tum vero reſeranda forent tabularia, archiua vocamus, aperienda *Capitulorum*, *Cœnobiorum*, vrbium arciumque penetralia, neque ſubducendum diligentiæ eorum quidquam foret, quod aliquid momenti habere crederetur. Quin, ſi amplior inſtituti eſſe deberet fructus, plures omnium ordinum viri docti ad huius deſtinationis ſocietatem, inuitandi eſſent, imperanda ſingulis penſa, præmiis etiam prouocandi aliqui. quamuis erectæ menti, præmium plus ſatis eſt, rerum patriæ illuſtratarum, iucunda conſcientia. Profecto autem his rebus fieret, vt breui, gentium aliarum exemplo, res patriæ litteraria, habitum indueret nouum lætumque; ſed manaret etiam inſtituti vtilitas, ad illas quoque ſcientias, quæ hucusque magno orbis eruditi damno, incurioſius, immo plane non ſunt a nobis procuratæ; vti eſt in primis, rerum naturalium doctrina, cui illuſtrandæ, vix vlla Europæ regio materiam luculentiorem, quam noſtra habet

patria,

patria, ſufficere poſſit. Sed hæc vota ſunt hominis priuati, eaque, niſi publica iis procuratio atque munificentia pondus aliquando eſt additura, irrita omnino ac inania. Nunc ad propoſitum reuertamur. Quod vero lamina illa aurea, e veterum murorum fundamentis, in parte Vindobonenſis regiæ meridionali, Anno 1662. d. 28. Ian. vna cum ſepulchrali tumba lapidea, eruta, cuius icona exhibet LAMBECIVS Comment. Bibl.Cæſ. Lib. 1. parte I. ſegm. LXIX. p. 80. & 90. in noſtræ ſubſidium litteraturæ iure haud poſſit vocari, quemadmodum vir eruditiſſimus exiſtimauit, multæ rationes contraeunt. præterquam enim quod characteres, qui in ea viſuntur, a ſiniſtra ad dextram vergunt; quod contra eſt apud Hunno-Scythas: ſupputatio profecto temporum, rite ſubducta, perſuadet mihi, vt cum LAMBECIO credam, & litteras veteres Pannonicas eſſe, & totum illud monimentum, ad tempora *Antonii Caracallæ*, hoc eſt, ſeculi tertii initium, reiiciendum. Sed de his vide accurate diſputantem *Lambecium*, qui idem e nummis, altero maioris moduli æreo, extra arcam ſepulchralem, altero, ſed minori, intra tumbam lapideam reperto, ſolide non minus, quam profuſe, docuit. KIRCHERIANVM vero laminæ iſtius interpretamentum, quod ad Sereniſſimum Archiducem Auſtriæ, LEOPOLDVM GVILIELMVM dedit, & loco iam memorato exhibetur, illi fere accenſere poſſis, quod exhibet *Celeb.* MENCKENIVS Charlat. Erudit. Declam. I. p. 63. 64.

§. XV.

Quid igitur, nullane poſſunt MSCta veteris huius Alphabeti produci? adhuc quidem, quæ ego vidiſſem, nulla. Habuit vero Illuſtris Collegii Debreczinenſis Bibliotheca, codicem, vetuſtis Hunnorum litteris exaratum, de quo Cl. GEORG. CSIPKE'S KOMARINI, Hung. Illuſtr. prolegom. p. 21. ſequentia habet: *exſtat apud nos* (Bibliothecam ſubintelligo publicam) *liber litteris vetuſtis Hungaricis exaratus*, - - *quam ſcripturam vetuſtam legere, intelligere, præterea etiamnum hodie ſcribere eadem poſſumus.* dolendum autem, quod codicem iſtum fuſioribus non deſcripſerit; eundem

Digitized by Google

dem enim hodie non amplius haberi, ex familiaribus meis accepi. Credo, ſuperiori bello Rakocziano, cum vniuerſa illa Bibliotheca, & iſtud litteraturæ Hunno - Scythicæ monumentum, interiiſſe. Si extra controuerſiam eſſent poſita, quæ ZAMOSCIVS in Analectis Daciæ antiquitatum p. II. & ex eo MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS Hiſt. Vniuerſ. p. 180. adfert, haberemus profecto, exſtantiſſimum pro litteratura Hunniaca, documentum. Verba eius non pigebit adſcribere, eo quod ſingularia prorſus ſunt: *talis*, inquit, *typi exemplar perquam vetuſtum integro volumine, in Bibliotheca Magni Ducis Hetruriæ Florentiæ hodie exſtat, mirandis ſane & incognitis Europæ notis. charta libri non eſt opiſtographa, ſed aduerſa tantum parte conſcripta: verum ita ob ſubtilitatem papyri tralucent omnes litteræ, vt auerſa quoque parte, non minus quam aduerſa legi pariter queant. non e lineis chartis, qualis hodie in vſu, ſed Nilotica papyro, volumen conſtat, nec calamo eſt exaratum, ſed typo impreſſum, vbi verſuum* συςοιχία, *dependulæ ſingularibus lineis, per qualibet interſtitia inſertis, inter ſeſe diſtinguuntur. Nec vero ipſi tantum characteres, ſed totus etiam codex multam vetuſtatem omnibus argumentis præ ſe fert*, &c. Non me quidem latet, Cl. ſcriptoris fidem, non ab exteris modo, ſed ipſis etiam Hungaris vocari in dubium. Laudatus KOMARINVS l. c. nihil dubitat ſcribere: *librum Florentiæ adſeruatum, non litteris Hungaricis, ſed litteris linguæ alicuius alterius ſcriptum eousque adſeremus, donec quis Florentinam ingreſſus Bibliothecam, vel partem quam exiguam, exinde vere deſcriptam, ad nos transmiſerit, vel ſi quis Hungarus iſtius ſcripturæ gnarus viderit, legerit & nobis bona conſcientia teſtatus de ea fuerit. Sane credibile eſt, ſcripturam aliquam litteris alicuius linguæ orientalis conſcriptam eſſe.* Recte quidem oculatum teſtem, & huius peritum litteraturæ, poſcit KOMARINVS, quem antequam nactus eſſet, miror in eam iuiſſe ſententiam, vt exiſtimaret, litteras linguæ alicuius orientalis eſſe debere. LAVRENTIVS TOPPELTINVS *de Megyes*, Orig. & Ocas. Tranſylu. c. VIII. p. 71. fruſtra ſe librum iſtum quæſiuiſſe

ſiuiſſe

fuiſſe ſcribit: *ego vero Florentiis in conclaui publicæ Bibliothecâ Magni Ducis Hetruriæ, ſollicite omnes libros verſitaui, meo tamen deſiderio fruſtratus, diſceſſi.* Quid? ſi forte veteris huius ſcripturæ ignarus fuit *Toppeltinus*; ſicuti fuit: & quod fieri adſolet, vt quæ legere & intelligere nequimus, ſegnius obſeruemus, aut etiam transmittamus incurioſius, idem ipſi euenit? præterea eſt cur dubitem, ſollicite adeo libros eum omnes verſauiſſe, vt non diligentiam eius effugere aliquid potuerit: neque facile crediderim; tantam librorum molem, qualis in Bibliothecis Principum adſeruatur, vnius alteriusue horæ ſpatio, ea potuiſſe diligentia perluſtrari, vt omnium, peregrinorum etiam, ratio haberi quiuiſſet exactiſſima. Accedit, quo rariores ſunt codices, & ſingularia quædam vetuſtatis præ ſe ferunt argumenta, eo arctius eosdem in publicis Bibliothecis concludi, neque temere copiam eorum omnibus promiſcue fieri peregrinis: id quod norunt ii, qui Bibliothecas auguſtas, haud a limine, ſalutarunt. vt iam coniecturas alias, neque eas abludentes a veri ſimilitudine, taceamus.

§. XVI.

At enim vero codicis Zamoſcii teſtimonium atque auctoritatem, quæ Scythis, & litteraturæ eorum velificat, inficiatur Celeb. quoque BVRCKHARD. GOTTHILFF STRVVIVS, in Introduct. ad Hiſt. litterar. c. XI. § 2. p. m. 519. cui equidem ſummo viro, controuerſiam facere nolim, vtut in promtu ſint, quæ eruditæ eius ἐπικρίσει poſſent opponi. Omnium vero acerrime, tum laudatum *Zamoſcio* codicem, tum vniuerſam Hunnorum litteraturam, inſectatur IOHANNES TRÖSTERVS in Dacia Nouo Antiqua paſſim, in primis Lib. III. c. 2. p. 250. ſeq. Sententia eius huc redit: Runicum vel Longobardicum Florentini codicis characterem eſſe debere, non Hunniacum: Hungaros nullum hodie antiquarum litterarum ſuarum apicem, (nicht einen eintzigen Steintrümmer) ſaltem fragmentum tenuiſſimum, monſtrare poſſe, vid. p. 266. Sed primo quidem turpi inuidiæ præiudicio laborat *Tröſterus*,

 quod

Digitized by Google

quod litterarum gloriam negat Hungarorum maioribus, nullo alio argumento nixus, quam *quod ſibi ita videatur*, ſcripturam illam, vel *Runicam*, vel *Gothicam*, vel *Longobardicam* eſſe. Atqui Runici, Gothici, Longobardici characteres, Europæ non plane ſunt incogniti; cum contra ea codex Florentinus, incognitis Europæ litterarum notis, teſte *Zamoſcio*, ſit conſcriptus. qui ergo *Runici* potius, *Gothici* aut *Longobardici* erunt? Quod vero dicit *Tröſterus*, Hungaros nullum Hunniacarum litterarum apicem, vel tenuiſſimum fragmentum monſtrare poſſe, oppido fallitur. conſuluiſſet modo, ſua iam ætate proſtantem, Cl. GEORGII CSIPKE's KOMARINI, Theol. D. *Hungariam illuſtratam*, turpem hunc errorem haud ſane lectoribus ſuis induxiſſet. Enimvero, quid miremur *Tröſteri* in inficiando audaciam, quum inficiari veritatem nemo ſoleat pertinacius, quam qui eam ignorat. Adde χάχωσιν Hungaros cauillandi, nihil non potuiſſe apud hominem, alioquin non indoctum, qui omne, quod pro ſua gente non faciat, audacter aut in dubium vocat, aut pertinaciſſime negat, aut ſine ratione idonea, reiicit. Sed *Tröſteri* errationes, alibi ſæpius recurret notandi locus. Mihi quidem certum eſt, priuatarum non minus, quam publicarum Bibliothecarum, maxime vero archiuorum, ſi excuterentur loculi, non defutura eſſe antiquitatis huius litterariæ, documenta exſtantiſſima. quæ, quod rariora innotuerunt hucusque, partim inde eſt deriuandum, quia ignorabantur Alphabeti rationes, neque ideo manuſcripti libri iſtiusmodi facile poterant detegi; partim, quia bellorum infinitis conuerſionibus expoſita Hungaria, antiquitatis ſuæ monumenta, ſubinde a populis finitimis, cogitur emendicare. Promiſit mihi nonnemo, cuius nomen premam tantisper, dum fidem liberauerit ſuam, tabulam peruetuſtam alphabeti huius charactere exaratam, diploma vocant; qua genti ſuæ donatio quædam confirmata ſit, ſed quæ præter inſcriptionem latinam, eamque recentiorem, a nemine hucusque, deficiente claue, potuerit explicari. vtinam tum hic ipſe ſtet promiſſis, tum eius exemplo excitentur alii, qui ſcriniis ſuis, vel tabulariis etiam, quæ habent in poteſtate, audeant

Digitized by Google

audeant vim inferre. Ceteroquin, ſi maxime concedamus *Tröſtero*, aut vniuerſam Hunnorum gentem, aut magnam eius partem, ignorauiſſe olim litteras, nihil tamen inde probri, quod in Hungaros iure poſſit iacere, mihi exſculpet, quod non ſibi longe ſit probroſius. Placet Cl. Fóris Otrokocsi ſententia, qua is diſputationem de litteris Hunnorum claudit, Orig. Hung. Parte I. c. VII. §. 25. p. 324. *Illud porro, quod noſtri maiores, maiori ex parte olim fuere illitterati, inculti & rudes, reſpectu aliarum nationum; tantum abeſt vt inde vel minima nationi, iam Chriſtianæ, poſſit adſpergi macula: vt potius inde petatur ineffabilis diuinæ erga nos, (ſupra alias gentes, olim ſapientiores,) bonitatis argumentum, quod ex tam illiteratis & rudibus,* (addo crudelibus & efferatis) *iam ſenſibiliter cœpit facere ſapientiores;* nec deſeret Dominus opus manuum ſuarum, *in ea natione, quam per varios caſus, & tot diſcrimina rerum, in ſtuporem certe omnium, qui hæc rite conſiderant, inter Chriſtianos tandem Chriſtianam & ipſam factam, in terra bona reſidere fecit. An Gothis, Wandalis, Turcis & ſimilibus, Europæ, Aſiæ & Africæ antiquis vaſtatoribus ſic fecit? Scio bene Gothos & Wandalos paſſim graſſantes, ſucceſſu temporis, (vt & Longobardos) Chriſtianos fuiſſe factos; ſed euentus oſtendit, Deum noluiſſe illos peculiare de ſuo nomine habere regnum, ſaltem diuturnum; ſed nationibus a ſe prius oppreſſis, intermiſceri, & ab iis velut abſorberi.* Hactenus ille.

§. XVII.

Illud iam diſcutiendum eſt argumentum, quod ab inuenta arte Typographica, pro vniuerſa litteratura Hunnorum, noſtroque adeo Alphabeto, duci & poteſt & debet ſane. Zamoscius eo loco, quem nunc produximus, veteres illos Aſiæ Scythas, quorum propago ſunt Hungari, nihil dubitat in partem laudis inuentæ Typographiæ vocare. *Deſinant,* inquit, *gloriari Europæi de ſua caſſioterographia, nuperrime inuenta, cum liber hic,* (codicem noſtrum Florentinum innuit) *ante multa ſecula impreſſus, litteris huic orbi incognitis, Scythas eius rei auctores, manifeſte proclamet.*

quod & PAVLLVS IOVIVS *ab oriente per Scythas ad Europæos veniſſe iampridem recte ſcripſit.* Hæc *Zamoſcius.* Quid de codice Florentino, characteribus, Europæ incognitis, exarato, ſentiam, inferius promam. Certum eſt autem, Typographiam orientalibus, multis ſeculis ante, notam vſurpatamque fuiſſe, quam apud Europæos, ſiue Belgarum, ſiue Germanorum opera, inuenta creditur. Mille & quingentis annis eam apud Sinenſes antiquiorem adfirmare nihil dubitat ISAACVS VOSSIVS. cap. de Artib. & Scient. Sinarum, quod eſt variarum obſeruat. c. XIV. Mercator vero in Atlante maiore *Deſcr. Reg. Sin.* tantæ apud Sinenſes antiquitatis eſſe dicit Typographiam, atque pulueris, quem pyrium vocant, vſum, vt eius inuentorum nomina, iam dudum vetuſtas obliterauerit. Differre tamen qualemcunque hanc Typographicam Sinenſium artem, ab ea, quæ in Europa eſt inuenta, apud harum rerum ſcriptores, in confeſſo eſt. *Seres*, inquit l. c. VOSSIVS, *non vti apud nos fieri ſolet, ſingulos ſuos characteres, ſeparatis exprimunt formis: hoc enim apud illos commode fieri non poſſit, propter immenſam characterum multitudinem; ſed ſingulas pagellas, ſingulis inſculpunt tabellis ligneis, haud multum abſimili ratione, ac apud nos imagines æri aut ligno inſculpuntur, quæ poſtea committuntur prælo. Hoc pacto efficiunt, vt vili pretio, minimo labore, & breuiſſimo tempore, quorumuis librorum editionem abſoluant.* Ita VOSSIVS, & in eam fere ſententiam SPITZELIVS, de re litteraria Sinenſium. Qui plura volet, diſcet ex teſte αὐτόπτῃ, & qui rem publicam Sinenſium orbi erudito detexit primus, ANTONIO PANTOGIA, cuius verba ex Italico in Latinum transfudit CASPAR ENS, Theſauri Polit. Parte II. Apotelesm. XL. p. 169. eaque recenſuit GEORGIVS PASCHIVS in Inuentis Nouo-Antiquis c. VIII. §. LXVI. p. m. 781.

§. XIIX.

Iam ſi vltimi orientis populi, quales Sinenſes ſunt, Typographicam hanc artem, rudiorem licet noſtra, tam longa ſeculorum ſerie, ante Europæos vſurpauerunt, non video, cur non eadem

dem

Digitized by Google

dem Scythis quoque Aſiaticis, tribui omnino poſſit, cum procliue ſit, vt gentes regionum terminis contiguæ, vti reliquarum rerum, ſic artium quoque, mutuum quoddam inſtituant commercium. Atque eadem hac ratione a Sinenſibus ad Europæos perueniſſe artem Typographicam, PANCIROLLVS auctor eſt, Rerum memorab. ſiue deperdit. Lib. II. Tit. 12. *Inualuit*, inquit, *opinio, quendam per mare Germanicum & Balticum nauigantem in regionem Chinenſium, qui olim Seres dicebantur, fuiſſe delatum, eundemque, cui Luſitani celocibus ſuis ſe adiunxerant, animaduertiſſe imprimendi artem illic exerceri. Viſis itaque & probe conſideratis typis ac formis illis, in Germaniam reuerſum, ſimilem chalcographiam concinnaſſe, quæ maximo nobis hodie & adiumento eſt, & lucro.* Nolim equidem PANCIROLLI hæc verba extra omnem dubietatem poni; nam & ipſe *opinionem* appellat: illud negari nequit, fieri id potuiſſe, ſaltem facilius cum Scythis, quam Europæis. Id cum negare haud ſuſtinet TRÖSTERVS, forte prouerbio illo Hungarorum monitus: *Haddj alább benne Szász!* mirum in modum ſe torquet, ne gloriam, vel inuentæ, vel ante Europæos diu vſurpatæ artis typographicæ, Scythis adſcribere neceſſum habeat. Primo enim crimen omnibus promiſcue rerum Hungaricarum ſcriptoribus impingit, quod omne, quod de Scythis memoriæ proditum eſt, de ſuis id dici velint Hunnis. mox iterum Scythas Aſiaticos, cum Gothis ſeu Germanis, permiſcet, eosque populos facit conſobrinos: videſis erudita iſthæc auctoris Stratagemata Lib. III. c. II. p. 252. ſeqq. & ibid. c. III. p. 254. 255. Atque tum colligit: Hungaros peculiares characteres Scythicos haud habuiſſe; ſed ſi qui eis ſint largiendi, Cimbro-Gothorum, quorum ſint poſteri Hunni, eos vſurpauiſſe characteres, oportuit. Non poſſum, quin promam liberius, quæ mihi ſuccurrunt, dum hæc ſcribo. Ad primum ergo crimen quod adtinet. nemo ſcriptorum rerum Hungaricarum negauit vnquam, Scytharum nomine, gentes ſubinde copioſiſſimas & latiſſime habitantes, comprehendi. Quia vero omnium omnis ætatis auctorum confesſione certum eſt; Hunnos Scytharum eſſe propaginem,

nem, iure, ſi non meliore, ſaltem eodem, actus Scytharum & res geſtas, ad Hunnos referunt ſcriptores Hungarici, quo TRÖSTERVS nihil dubitat, quidquid vbicunque locorum geſtum eſt, a priſca Gothorum atque Germanorum gente, Saxonibus ſuis, in Dacia habitantibus, tribuere. Igitur, prius de ſuo delicto confiteatur TRÖSTERVS, quam ſcriptorum noſtrorum vllam culpam reprehendat. Quod autem Scythas Aſiaticos cum Cimbro-Gothis miſcet TRÖSTERVS, ipſe viderit: niſi forte orbem Europæum vniuerſum, ſanguine Scythico ſatum adfirmauerit. quorſum non obſcure BOXHORNIVS in originibus ſuis paſſim inclinat; neque ego nimium reluctor, quin lubens ſubſcribo, verbis doctiſſimi SALMASII, Helleniſticæ P. II. c. II. p. 366. *Nulla eſt*, inquit, *fere gens Europæ, nec Aſiæ, quin a Septentrione promanauerit. inde progenies profecta populorum, quibus Europæ Aſiæque partes pleræque conſitæ fuerunt. Scythia igitur, quæ ad Septentrionem omnes fere gentes euomuit, cum linguis ſuis, quæ Europam & Aſiam inundarunt. Vt autem vaſtiſſima Scytharum regio fuit, & late porrecta ad orientem & occidentem verſus meridiem, eructando varias, hinc in Europa, inde in Aſia produxit gentes.* Quia vero effuſæ ex Scythia gentes, vti labentibus annis, ab auitis moribus degenerarunt, ita mutatis quoque nominibus, alias atque alias ſortitæ ſunt appellationes: Scytharum contra ea nomen diutiſſime noſtris maioribus hæſit; donec & hi primum quidem Hunnorum, mox Auarum atque Hunno-Auarum, denique Hungarorum nominibus, Europæ innoteſcerent: nullo ſe omnino crimine obſtringunt, rerum Hungaricarum ſcriptores, cum Scythici nominis decus, ſi quod tamen eſt, pro ſua gente, tuentur. Huc faciunt PLINII verba: *Scytharum nomen, vsque quaque tranſiit in Sarmatas atque Germanos, nec aliis priſca illa durauit appellatio, quam qui extremi harum gentium, ignoti prope ceteris mortalibus, degunt.* Denique non ſine audaciæ noxa, adfirmat *Tröſterus*, characterem, quo Hunni vſi ſunt, Cimbro-Gothicum potius, quam Hunno-Scythicum fuiſſe. prorſus, ac ſi nullis ſapere gentibus, præterquam Gothis ſuis, peculiari fa-

torum

torum munere, fuiſſet conceſſum. Ille vero ſui oblitus hæc mihi videtur ſcripſiſſe. namque nullas ſe Hunnorum litteras vidiſſe, confeſſus eſt, quin eius rei cauſſa Hungaris ſuperbe inſultauit, Lib. III. c. 4. p. 265, 266. mox iterum nouo auſu, ad Cimbro-Gothos eas retulit. Nimirum *Tröſterum* ferit, quod de Treueris & Neruiis Tacitvs memoriæ prodidit: *eos circa adfectationem Germanicæ originis, vltro ambitioſos eſſe*, de Morib. Germ. c. 28. Sed vero tædet conſectari ſingulas, boni viri, aberrationes: ſuis ipſius verbis hanc claudam diſputationem: *artem Typographicam apud Sinenſes, & Scythas etiam forte Aſiaticos, multis ſeculis prius in vſu fuiſſe, quam in Europa ſit inuenta*, Lib. III. c. 3. p. 255. Sic parcimus faſſo!

§. XIX.

Nouum, pro Alphabeto noſtro, idque in primis collocandum, argumentum, ſuppeditat vſus eius inter *Székelyios*, fortiſſimos Daciæ incolas, adhucdum obuius. TsÉtsivs in Obſeru. Orthogr. Hung. p. 1. §. 2. n. 2. *Harum*, inquit, *litterarum veſtigia etiamnum, vt aliqui perhibent, apud Székelyos Tranſyluanenſes ſupereſſe extra dubium eſt, licet iis vti paucis datum ſit.* Atque ſic Zamoscivs quoque: *Supereſt apud hos* (Székelyos) *in Tranſyluania genus quoddam vernaculum ſcribendi, quod ab* ἀρχαιγόνοις *eorum Scythis, iam inde per multa ſecula, poſteritati traditum, ab oriente in Europam illatum retinetur.* ex quo *Zamoſcii* loco, notare ſane potuiſſet *Tröſterus*, acerrimus litteraturæ Hunno-Scythicæ inſectator, niſi eum & amor gentis ſuæ prope nimius, & odium in Hungaros, prohibuiſſet, cum antiquitatem Alphabeti noſtri, tum originem etiam, non a Cimbro-Gothis, ſed ab oriente repetitam, atque vſum, *Zamoſcii* temporibus, apud Siculos frequentatum. Et decebat profecto, antequam tanta audacia, Hunnorum litteras inficiaretur, vicinos Székelyios vt conſuluiſſet, ſaltem grauisſimi ſcriptoris fidem haud temere eleuaſſet. Inſigne præterea hac in re Nicolai Olahi, Metropolitani Strigonienſis, teſtimonium eſt, qui *in Attila* c. XIIX. cum mores Siculo-

rum deſcripſiſſet, de eorum litteratura ita habet: *ad explicandam animi ſui ſententiam ac voluntatem quotidianam, præter vſum papyri & atramenti, aut characteris aliarum linguarum, notas quasdam bacillis ligneis incidunt, aliquid inter ſe ſignificantes: quibus ita inciſis, apud amicos ac vicinos, vice nuntii epiſtolaue vtuntur.* Ita OLAHVS. neque aliter ante eum M. IOH. THVRÓCZIVS Chron. Hung. Lib. I. cap. vlt. p. m. 28. *Hi* (de Siculis loquitur) *nondum Scythicis litteris obliti, eisdem non encauſti & papyri miniſterio, ſed in baculorum exciſionis artificio, dicarum ad inſtar vtuntur.* Székelyios ergo per communem cum Hungaris originem, litteraturam communem, etiam atque etiam obteſtor, ne ſibi maioribusque ſuis inſultare patiantur diutius, homines, qui ſe ſolos *animalia rationalia* eſſe, reliquos, ζῶα ἄλογα, ſuperbisſime ſibi ipſis perſuadent; ſed litteraturæ ſuæ ſpecimine edito, adſperſam barbariei maculam, pro virili abſtergant: id quod ſua ætate eos rogitabat Celeb. MOLNÁR Præf. Gram. Hung. & ego iam rogito eo confidentius, quo magis exploratum habeo, neque huic Scytharum propagini, eruditos viros, qui id præſtare poſſint, vel tum defuiſſe, vel iam quoque deeſſe.

§. XX.

Reſtat, vt *argumentum vltimum*, pro noſtri huius alphabeti genuina antiquitate, producamus. Quatuor ſcribendi genera obſeruarunt, apud omnes orbis populos, accuratiores philologi. quidam enim a dextris ſcribendo ad ſiniſtram pergunt: quidam contra ea, a ſiniſtra verſus dextram ſe porrigunt; pauci admodum, a ſummo deorſum ducunt lineas; pauciores aratorum in ſcribendo imitati ſunt conſuetudinem, qui ſulcum a dextra ſiniſtrorſum deductum, a ſiniſtra iterum ad dextram reducere ſolent; quod ſcripturæ genus βυςροφηδὸν appellant. *Primum* illud Orientalium eſt & Meridionalium, pene omnium. *Secundum* Occidentalibus placuit. *Tertium* & *quartum* Septentrionales amplexi ſunt, Conſ. VORMIVS de Litterat. Runica: vtut Aethiopibus etiam modum hunc ſcribendi familiarem fuiſſe doceat ALEXANDER ab

ALEXAN-

ALEXANDRO, Genial. Dier. Lib. II. c. XXX. quin hoc ipſum ſcripturæ genus antiquiſſimis græcorum placuiſſe, teſtis eſt ὁ πάνυ, VOSSIVS in Ariſtarcho, Lib. I. c. 34. p. 128. HESYCHIVS βουστροφηδόν. οὕτως ἔλεγον, ἐπὰν ὁμοίως τοῖς ἀροτριῶσι βουσὶ τὰς ἀντιστροφὰς ποιῇ τις. ἔλεγον δὲ ἐπὶ τοῦ γράφειν τρόπῳ τοιούτῳ: quomodo leges SOLONIS exaratas fuiſſe, refert EVPHORION. confer BOSCHARTI Canaan Lib. I. c. 20. p. 494. vnde, quas nos lineas dicimus, illi nonnunquam αὔλακας, i. e. *ſulcos*, appellarunt, vid. EDMVNDVS DICKINSONVS in Delphis Phœnicizantibus c. X.

Non adtollebant dextram, ſed meta prioris
Principium verſus poſterioris erat.

Conferatur huc STEPH. MORINVS in Exercit. de Ling. prim. P. I. c. IV. p. 18. vbi de variis ſcribendi modis erudite legas diſſerentem. Atque ex quadruplici hac ſcribendi ratione, nouum nobis, idque vltimum, pro alphabeto Hunno-Scythico, argumentum ſubnaſcitur. Cum enim character eius a dextra ad ſiniſtram ſe porrigat, indicio eſt, eum, priſcos illos Hunnos, ab orientalibus accepiſſe. Recte KOMARINVS Hung. Illuſtr. p. 20. §. 4. *Scribendi modus* Hungaris *vnus & idem eſt cum eo, quo gaudent Linguæ orientales pleræque, nimirum Hebraica, Syriaca, Arabica, Chaldaica, Perſica, Turcica* &c. *a dextra nimirum ad ſiniſtram; quem nulla occidentalium habet. Scribendi modum ſequitur modus legendi.* Hinc & exemplar Alphabeti mei manu ſcripti, hac gaudet ἐπιγραφῇ: *Alphabetum priſcorum Hunnorum, quo olim vſi ſunt, lectum more Hebræorum a dextra ad ſiniſtram.* Id vero eſt, quod in codice illo Florentino, quem laudat *Zamoſcius*, merito deſidero. illius namque characteres, non a dextra verſus ſiniſtram, ſed a ſummo ad imum tendunt. Audiamus verba eius: *ſicut autem linguarum diſſimilitudine Aſiatici ab Europæis herciſcuntur, ita & litterarum notis ſcribendique forma, per omnia diſſident. nam cum Europæi dextrorſum elementorum figuras ducant, Aſiatici ſiniſtrorſus ſuas pingunt,* χαρινίζοντες. *Ex his duabus ſcribendi formis, cæteræ etiam, in toto orbe, vt originem habent, ita & motus qualitatem alterutram*

ſequuntur. ſola Siculorum ſcriptura noluit eas leges imitari. Ea enim non vltro citroque, vti Græca & Hebræa, ſed initium a ſummo faciens, horſum ſe capeſſit, litteris deorſum tendentibus, ac tam ſubtili complexione implicatis, vt pauciſſimis multa abſoluatur ſententia. Itaque, non ſcriptorio ſemper atramento, ſed particulis oblongis, fuſtellisque in quadrum dolatis, cultelli cuſpide, velut ſtilo, litteras confertin hærentes, inſculpunt. quod genus ἐγγλυφογραφίας, *cum iisdem priſcarum litterarum notis hucusque temporis penes illos remanſit. Talis typi exemplar, perquam vetuſtum integro volumine in Bibliotheca magni Ducis Hetruriæ, Florentiæ hodie exſtat*, &c. Idem KOMARINVS noſter in hiſtoria BOXHORNII obſeruat: *dicit quidem* Cl. D. MARCVS ZVERIVS BOXHORNIVS, *celebris in Academia Leydenſi Hiſtoricus, Hiſt. Vniuerſ. p. 181 ad annum Chriſti 103. vetuſtam Hungarorum ſcripturam deorſum tendere, non ſecus ac Chinenſium (quam & ego ipſe Vltraiecti vidi) & librum quendam eiusmodi typis exaratum, Florentiæ in Bibliotheca magni Ducis Hetruriæ adſeruari; ſed labitur. exſtat enim & apud nos liber litteris vetuſtis Hungaricis exaratus, ſed nihil tale in eo obſeruauimus, quamuis ſcripturam iſtam vetuſtam legere, intelligere præterea etiamnum hodie ſcribere eadem poſſimus.* Quid igitur? nihilne ab iſto codice præſidii ſperet litteratura noſtra Hunno-Scythica? immo vero! habeo namque, quorſum me coniectura, neque ea inanis, ducat. Supra monuimus conſulto, vti gentium plerarumque, ita Hunno-Scytharum etiam, geminum fuiſſe characterem *Alphabetarium* alium, alium *Symbolicum*: illum Hebræorum more ſcribebant Hunni; hunc Aegyptiorum atque Sinenſium ritu, qui Symbolico charactere adhuc vtuntur, ad eum modum, quo codicem illum delineavit *Zamoſcius*. Vſos autem fuiſſe Scythas veteres hieroglyphico ſcribendi genere, non ſecus, quam Aegyptios & Aethiopes, e PHERECYDE SYRO apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM ſupra notauimus, & e DIODORO SICVLO, ſcite CAVSINVS aduertit, in tractatu de Symbolica Aegyptiorum ſapientia. Quod ſi eſt, ſicuti eſt omnino, procliue fuerit ad con-

iicien-

iiciendum, ſuos iſtos characteres, Sinenſium more, pendulis, atque deorſum tendentibus lineis, iisque ſubtili nexu ſibi inuicem implicatis, vel pinxiſſe eos, vel expresſiſſe. Succurrit & illud, annon ſcriptura illa codicis Florentini, pro fuſtellarum, quibus Hunno-Scythici characteres ſolebant inſculpi, oblonga forma, in lineas deſinens longiores, impoſuerit ſpectatoribus, huius ſcripturæ ignaris, ac ſi a ſummo, ad imum ſe porrigeret, licet forte, a dextris, ſiniſtrorſum ſcripta ſit, legique ratione eadem debeat: quæ quidem omnia αὐτοψία, quemadmodum recte monet Celeb. STRVVIVS, doceret optime. Et foret illud ſane optandum, vt ſiue Bibliothecæ Florentinæ Præfectus, ſiue peregrini quicunque alii, quibus codicis iſtius facta fuerit copia, partem eius aliquam curatiſſime deſcriptam, atque inciſam æri, publica tandem luce donarent, litesque eruditorum, ſuper eo coortas, nec ſoporatas adhuc, in quamcunque demum partem, deciderent. Nobis interim, nemo in vitio ponet, quod circumpoſitam Hunno-Scythis laudem, per ignauiam, haud reiiciamus, ſed adſerere eam idoneis argumentis, connitamur. certe enim, quomodocunque ſe res habeat, vel in ſolam tantæ rei ſuſpicionem vocatos eſſe Hunno-Scythas, laudi ſibi ducit gens Hungara. Hactenus de genuina Alphabeti noſtri antiquitate.

Sectio Tertia.

ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ.

De Præiudiciis, quæ aduerſus Litteraturam Hunno-Scythicam, adferuntur.

Synopſis.

Præiudicium *primum*: quod nihil Scythæ de rebus ſuis geſtis ſcripſerunt, refutatur §. I.

Hunnorum in celebrandis rebus ſuis geſtis conſuetudo, ex Priſco Rhetore & aliis. §. II.

Præiudicium *ſecundum*: quod nulla Alphabeti huius in Bibliothecis exſtant veſtigia, excutitur §. III.
Neque tamen culpa vacant Hungari §. IV.
Cur nullos oſtendere queamus nummos, vbi de Nummis Attilæ §. V.
De his coniectura veroſimilis §. VI.
Lapides, quod nullos oſtendere poſſumus, cauſſa allegatur §. VII.
Præiudicium *tertium*: quod ſcriptores optimi de litteris Hunno-Scythicis ſilent, refellitur §. VIII.
Præiudicium *quartum*: quod monſtroſi ſunt characteres noſtri, exploditur §. IX.
Præiudicium *quintum*: quod vocales habet conſonantibus mixtas; *ſextum*: quod diphthongis gaudet, retunduntur §. X.
Præiudicium *vltimum*: quod multi Alphabeti huius ſunt characteres, convellitur §. XI.

§. I.

NOn vero ſuffecerit, conſtitutum in luce publica, quantum tenui noſtra opera fieri poterat, adſertumque priſcæ antiquitati, Alphabetum Hunno-Scythicum; amolienda iam ſunt præiudicia, quæ ei nubem quandam poſſent inducere. quorum, cum non pauca ſint, neque ea, vti blandiuntur ſibi oſores litteraturæ Hunniacæ, nullius momenti; præcipua, quæ agmen ducunt, prouocabimus, & quam potuerimus breuiſſime, deſiciemus. Primo ergo omnium hos produco, qui, quod Hunni de rebus ſuis geſtis, nihil temporibus priſcis in litteras retulerunt, audaciter coniectant, nullos vmquam characteres, vel habuiſſe, vel vſurpauiſſe. Sed amolitus eſt, a Hunnis hoc, quidquid eſt criminis, THVROCZIVS in Præf. Chron. Lib. 1. *Nec*, inquit, *crimine de hoc Hungarorum vetuſtas arguenda eſt, quod ſuarum memoriam rerum, altum obliuionis in pelagus defluere permiſit. hoc genus hominum, ipſarum ætate rerum, armorum potius ſtrepitu, quam litterarum ſcientia ſe exercitabat. Nam & hoc noſtro æuo, pars nationis eiusdem quædam, Transyluanis regni poſita in oris, characteres quosdam ligno ſculpit, & talis ſcripturæ vſu, litterarum ad inſtar viuit.* Quinimmo, hoc ſi admittamus, litterarum gloria, fortiſſimis quibusuis gentibus erit deneganda: cum fere euenerit, vt maximæ res geſtæ, præconibus caruerint ſuis. nec enim

Digitized by Google

enim omnibus ita licuit eſſe felicibus, vt pro rerum geſtarum magnitudine, Homeri ipſis contigiſſent; hos occupante ignauia, illos inuidia ſtimulante, aliis partium ſtudiis in diuerſa abeuntibus. quibus rebus fiebat, vt crudeliſſimæ Hunnorum expeditiones ac bella paſſim geſta, partim ab ipſis Hunnis negligerentur, partim præterirentur ſilentio, aut multa implicarentur dubietate ab his, qui res aliorum in litteras referebant. Aduertit hoc *Thurocius* noſter, dum, quod ipſe fatetur, diligenti lectione perluſtraret hiſtoricorum monumenta: *externarum nationum inuidiam exactis per ipſum Attilam regem victoriis, condignum præconii ſubtraxiſſe ſtilum, & eidem regi Attilæ gloriam imperialis nominis demſiſſe puto, neque per ipſum geſtarum rerum in decus quidpiam, præterquam illatas per ipſum eis miſerias, planctuoſi carminis ad inſtar, ſcripſiſſe inueniuntur.* Accedit, celeberrima gentium nomina, non tam ſuis ipſorum, quam alienis monumentis poſteritati innotuiſſe. profecto Germani ipſi in harum cenſu ponendi ſunt: notæ ſunt hac de re, *Wolfgangi Lazii, Beati Rhenani, Auentini, Lehmani, Cluuerii, Harsdorferi, Althameri, Schottelii, Morhofii,* Germaniæ luminum, querelæ. quis vero inficias ire ſuſtinebit, nullas iis litteras olim in vſu fuiſſe: *maiores noſtri, gloriam ſuam factis, quam dictis prodere maluerunt*, inquit Schottelius. non video, cur non eodem præſidio tutari ſe poſſint Hunni. Nimirum, bellicoſiſſimi quique populi, contenti hac laude fuerunt, ſi ea patrauiſſent, quæ aliorum in ſcribendo fatigarent diligentiam. Equidem *optaui aliquoties*, verba Althameri in rem meam verto, *Hungariæ, aut Ciceronem quendam, aut Liuium, qui celebraret auos, proauosque, & vniuerſam nationem a ſtirpibus imis, ſed fruſtra.* Neque vero adeo rerum ſuarum erant negligentes, vt non earum memoriam ad poſteros transmittere ſatagerent. res enim geſtas celebrabant carminibus, *quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus erat*, quemadmodum Tacitus de moribus Germ. perhibet. confer hic omnino *Lipſii* notam p. m. 541.

§. II.

§. II.

Dignum eſt, quod hanc in rem adſcribatur, fragmentum PRISCI RHETORIS, in quo ille de conuiuio ATTILAE: *adueniente*, inquit, *veſpere, ſublatis epulis, duo viri Scythæ, coram Attila prodierunt, & verſus a ſe factos, quibus eius victorias & bellicas virtutes canebant, recitarunt. in quos conuiuæ oculos vultusque defixerunt. Et alii quidem verſibus delectabantur, aliis bellorum recordatio animos exſuſcitabat, aliis manabant lachrymæ, quorum ætas adfecta reddiderat corpus effœtum & imbecillum, ex quo eorum pugnandi ardor & cupiditas, quieſcere cogebatur.* Excerpt. ex Goth. Hiſt. p. 128. Id vero non viri tantum, ſed feminæ etiam factitabant. namque ATTILAM, ab expeditione quadam reducem, Scythicis cantilenis, quas puellæ modulabantur, fuiſſe exceptum, PRISCVS idem RHETOR memoriæ prodidit. *In hunc vicum aduentanti Attilæ, puellæ obuiam prodierunt, quæ per ſeries ante gradientes, ſub linteis tenuibus atque candidis, quam maxime in longitudinem extenſis, ita, vt ſub vno quoque linteo, manibus mulierum ab vtraque parte ſublato (erant enim multi huiusmodi mulierum ſub illis linteis ordines) ſex puellæ, aut etiam plures, dum iter pergerent, odas & cantilenas Scythicas canerent.* l. c. p. 107. Ita ſeptem illi duces, quos naſo auribusque mutilatos, Saxones in Hungariam miſerant, perennaturam nomini ſuo memoriam nitebantur conciliare. namque, *de ſe ipſis cantilenas fecerunt inter ſe decantari, ob applauſum ſecularem, & diuulgationem ſui nominis: vt quaſi eorum poſteritas his auditis, inter vicinos & amicos, iactare arrogantia ſe valerent.* Thuroczius Part. II. c. IX. p. 23. Frequentabatur mos iſte adhucdum in aula MATTHIAE regis: *ſemper enim in eius conuiuio diſputatur aut ſermo de re honeſta aut iucunda habetur, aut carmen cantatur. Sunt enim ibi muſici & citharœdi, qui fortium geſta in lingua patria ad menſam in lyra decantant. Mos enim Romanorum hic fuit, & a nobis defluxit ad Hungaros. Cantatur autem ſemper aliquod egregium facinus, nec deeſt materia. nam*

cum

cum Hungaria in medio hoſtium diuerſarum linguarum ſita ſit, ſemper rei bellicæ habet fomitem. Amatoria autem carmina raro ibi cantantur, & vt plurimum geſta in Turcos in medium veniunt, non ſine ſermone concinno, verba ſunt GALEOTI MARTII de dict. & fact. Matthiæ c. XVII. Adeo priſci illi Hungari etiam ſcribentes nihil, nominis tamen ſui, rerumque a ſe geſtarum memoriam, norant ad poſteros propagare, rebus geſtis nonniſi maximis, laude vero modica contenti.

§. III.

Pergo ad aliud præiudicii genus, quod illorum eſt, qui litteras iſtas Hunno - Scythicas ideo genuinas eſſe negant, quod nulla earum vel in bibliothecis, vel in nummariis, omni antiquitate inſtructiſſimis, ſuperſint veſtigia; ſed nec detecti hucusque lapides, qui de Hunnorum hac litteratura, idoneum aliquod præbere poſſint argumentum. Sed de Bibliothecis, huius rei cauſſas non obſcure Sect. II. §. XII. XIII. indicauimus. Ceteroquin adfirmari, ſine formidine falſi, poteſt nondum, nulla prorſus, quæ in hanc rem facerent, documenta exſtare. Perſuaſum mihi eſt, multa paſſim, ſiue olim cum blattis & tineis colluctata fuiſſe, ſiue colluctari adhuc, antiquitatis noſtræ monumenta; quæ, quod ſegnius hucusque in lucem protrahebantur, cauſſam ſupra prodidimus. Adde exterarum gentium inuidiam, atque nominis Hunniaci odium. quo factum eſſe reor, vt multa venerandæ antiquitatis noſtræ cimelia, peſſum irent. Pectus mihi effodit dolor, cum recordari ſubit animum, IANI PANNONII Annalium, quos eum compoſuiſſe, SAMBVCVS auctor eſt. *Annales*, inquit, *patriæ, heroicis ipſum verſibus, vno in volumine colligaſſe, multi norunt: quibus conficiendis quantum ipſe ſe ſuperarit, facile ex admiranda Marcellina panegyri (quam vna cum aliis doctiſſimus & felix Poëta*, Hilarius Canciuncula *Venetiis edi curauit) quisque ſecum cogitabit* ſed quod ſubiungit, lectu triſtiſſimum eſt: *vtinam quidem annales eius aliquando Viennæ conſpecti & lecti prodeant, carceresque perfringant: non ſecus, me Deus, atque Ci-*

ceronis aut Liuii, quæ periere, mecum excipienda ducerem, tantum quiſque huic vati iure tribuendum cenſeat. Quodſi Vulcano, vel Iſtro ſunt tradita, vel, vt quidam non diſſimularunt, excrementis humanis loco abdita foraminibusque putruere, manes inuidorum luant pœnas: quod φθόνος ἔξω τῦ θείου θορόνυ ἵςαται, *vt eſt in Phædro.* Pudet fere iſta huc adſcripſiſſe. interim hoc ſi euenit litterato iam ſæculo, annalibus PANNONII, quos legere poterant, iuxta & cum voluptate intelligere inuidi; quid non de ea credamus ætate, quæ multa barbarie obſita, quo a litterarum ſtudiis alienior, eo erat remotiora ſenſu humanitatis. Nimirum tradebantur, Hunniacæ antiquitatis monumenta iſtis ſuppliciis, quibus ſolemus hos, qui facinus capitale patrauerunt, hoc eſt, Vulcano, ponto, æternis carceribus, & quod omnium eſt indigniſſimum, latrinis ſorte perpurgandis.

§. IV.

Sed hanc calamitatem nimium quantum auxit maiorum noſtrorum incuria, qui nunc rapinis inhiantes, nunc dilatandis finibus intenti, nunc de ſalute ſua, inter conſerta bellorum pericula, multum laborantes, facile hanc diligentiam ad otioſos, & pacis ac religionis ſtudiis deditos, reiiciebant. vt mirum haud ſit, celeberrimum MOLNÁRVM, de manu ſcriptorum codicum noſtratium inopia querulari: *libros ſane Vngarico idiomate ſcriptos, habemus admodum paucos, neque incidi vnquam in Vngaricum codicem manu ſcriptum unde factum, vt de antiquitate noſtræ gentis & linguæ, paucula tantum indagare potuerim, præter vulgaria illa, quæ apud Latinos & Germanicos Hiſtoricos, & quæ apud Bonfinium leguntur. omnium autem librorum, quos adhuc conquirere potui, vetuſtiſſimus eſt, Chronicon Mundi Hungariæ ſcriptum a* STEPHANO SZÉKELY, *editum Cracouiæ in Polonia anno 1558.* Mihi vero ſuppetit codex librorum Noui Fœderis Hiſtoricorum antiquior longe, quem Hungarice reddidit IOHANNES SYLVESTER, & FERDINANDI, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ Regis filiis, MAXIMILIANO & FERDINANDO, inſcripſit anno 1541. de quo codice alibi commodior erit dicendi locus. Enim vero

ad

Digitized by Google

ad MSCC. vt redeamus, mihi haud vana ſunt auguria, latere paſſim in tabulariis *Capitulorum* atque *Cœnobiorum*, antiquitatis litterariæ documenta quædam, quæ ſi protraherentur in lucem ſollicitius, haberemus oppido, quo rei Hunnorum litterariæ contemtoribus iri poſſet obuiam. quæ quidem res tamdiu inter vota ſubſiſtet, dum inueniantur, qui obſita ſitu domeſticæ monumenta antiquitatis, curioſius excutiant. quod vt illi faciant, quorum arbitratu tabularia iſtiusmodi cuſtodiuntur, per antiquum gentis Hungaricæ decus, rogantur etiam atque etiam.

§. V.

Iam ad nummos quod adtinet, ſunt ii omnino cuſtodes antiquitatis fidiſſimi, id quod illuſtris SPANHEIMIVS grandi, eoque eruditiſſimo ſcripto, luculentiſſime docuit. Hos ergo, quod nequimus exhibere, in promtu cauſſa eſt. Ita vero cenſeo, æris & argenti ſignati vſum, ſaltem artem monetalem, ignorauiſſe tamdiu Hunnos, donec rapinis cultarum gentium, ditarentur. quam mihi coniecturam, non mediocriter ſentio confirmari, dum cogito, ne vocabulum quidem pecuniæ, Hunnos ſecum ex Aſia adtuliſſe, tamquam rei, quam illic ignorauerint. certe nomen, quo hodie rem nummariam appellamus *Pénz*, Slauonicum eſt, a Peniz. Immo, ſi procudebant etiam nummos, peregrinarum fere gentium characteribus eos inſigniebant. erat enim hic mos bellicoſiſſimarum gentium, vt ſuis domi characteribus, peregrinis militiæ, vterentur; id quod de Suedis, antiquis illis, RVDBECKIVS adfirmat, Atlant. P. I. c. XXVIII. Teſtis huius rei eſt nummus triumphalis Attilæ ob expugnatam Aquileiam, quem SCHÖDELIVS in Diſquis. Hiſt. Polit. de Regno Hung. ad §. 239. producit, atque prototypum eius aureum in illuſtri θαυματοταμείῳ RVDOLPHI II. Imperatoris adſeruatum fuiſſe ſcribit. Nihil reluctor hiſtoriæ numiſmatis, non tamen poſſum, quin moneam, videri, recentioris eſſe ætatis, & ab aliis, longo poſt tempore, in iſtius excidii memoriam, quod fere fit, excuſum. ſed ea de re hi iudicabunt rectius, qui iſtis ſtudiis ætatem conterunt: ſufficit, icona, qualem noſter


 nobis

Digitized by Google

nobis typus, nuper admodum, ſingulari beneficio viri multum reuerendi, communicatus, & domeſtica conflatus induſtria, ſuppeditauit, heic exſcripſiſſe T. IV. n. I. At enim vero, ſi M. TILMANNO FRIESEN credimus, flari omnino curauit Attila nummos. ita enim ille in Tractatu, quem Müntz=Spiegel / inſcripſit, edit. Francof. A. 1529. c. 5. Lib. III. de Attila: Dieſer ſoll neben ander Müntz / gekörnet Geld vom Silber und Golde / von zween Quintlein, ein Korn gegoſſen / daran ein Zeichen wie ein Creutz / und anderſeits wie ein Krauen=Fuß / geſchlagen haben. quem vetuſti ſcriptoris locum emendare niſus eſt SCHÖDELIVS: *iudica hic*, inquit, *candide lector*, *annon irrepſerit hic error typographicus*, *per metathesin transpoſita littera* o / *ante* r / *vt legendum ſit pro* gekörnet / gekrönet / *pro* Korn / Kron. Sed profecto infeliciter! norunt enim rei metallicæ & fuſoriæ periti, quod Korn=ſiue Kern=Silber argentum probum & excoctum notat, vt mens ſit FRIESENII; *Attilam*, e puriſſimo auro & argento, nummos flari curauiſſe.

§. VI.

At vero, vtut vſum rei monetariæ concedamus ATTILAE, illud dubium ſupererit, quos & cuius linguæ characteres, nummis ſuis curauerit imprimendos. equidem *Frieſenii* tractatum nonniſi indice *Schödelio* noui, eapropter ignoro, exhibueritne nummorum Attilæ, quos deſcripſit, icones; ſi tamen coniecturæ locus detur, ſubductis rationibus, ita exiſtimo, nummos iſtos charactere Hunniaco fuiſſe ſignatos, quos quia ignorabant, qui talia memoriæ prodiderunt, neſcio, quas figuras, quibus characteres illi ſimiles credebantur, commenti ſunt. Quid enim homini a ſacris chriſtianis alieno, in ſignandis pecuniis cum propudioſo crucis ſigno? quid præterea cum pede cornicis? cum teſte MICHAELE RITIO Lib. I. de Regib. Hung. *Attila inſigne geſtarit aſturem, ex accipitrum genere coronatum*, quæ inſignia ad GEYSAE vſque ducis tempora, Hungari conſeruarunt, BONFINIVS Dec. I. Lib. III. Litteras ergo eſſe oportuit Hunniacas, quæ iſtiusmodi



Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

modi formam mentiebantur. quales, dum in alphabeto noſtro veſtigo, ſubnaſcitur nomen Attila, in vtraque nummi parte expreſſum: numismatis effigiem, quemadmodum animo eam concepi, vt hic exhibeam T. IV. n. II. non tam meo iudicio, quam amici hortatu ſum inductus. *Primus* ergo ſchematis illius *character*, ſi a dextra legendo ſiniſtrorſus pergas, A; *ſecundus* obliquæ crucis ſpeciem exhibens T, molle; tertius erectæ crucis formam præ ſe ferens I. notat: quibus quidem characteribus ſyllabæ continentur duæ: ATI. Sed parte aduerſa primo ſtatim loco L noſtrum viſitur, figuram mentiens *pedis cornicis*; cui tandem A. dimidiatæ cruci haud abſimile ſubnectitur; qui duo poſteriores characteres tertiam nominis Atila ſyllabam abſoluunt. Fateor, audacem hanc eſſe coniecturam, ſed quæ *Friſenii* verbis, ſupra adlatis, plane reſpondet. Iudicent interim, qui forte nummos iſtiusmodi, mihi numquam viſos, poſſident, annon ex noſtra iſta coniectura, aliquid rei ſuæ nummariæ, lucis adfundi poſſit. ſaltem, ſi icon hæc noſtra, prototypo omni parte non reſpondet, nobis veniam indulgeant; acturi nos ipſis ſumus gratias, ſi noſtram hanc coniecturam, vel firmauerint, nummis ipſis in medium productis, vel prorſus confutauerint.

Quisquis es! o faueas noſtrisque laboribus adſis!
His quoque des veniam!

Sed quia ad nummos Hungarorum noſtri nos antagoniſtæ deduxerunt, exhibeo lectori erudito, nummum S. Stephani Regis T. IV. n. III. quem pro ſingulari ſua humanitate, Cl. M. Georg. Ferd. Gleichgross, eccleſiaſtes Poſonienſis, harum rerum vti amantiſſimus, ita peritiſſimus, mecum communicauit, cuius parte vna legitur nomen, Stephanvs Rex; parte vero aduerſa; Civitas Regia, ſiue *Buda* illa fuerit, ſiue, quod mihi probabilius videtur, *Alba Regia*, quæ ab auſpiciis Stephani regiis, & ſecutis demum ſepulturis regum, id nominis tuliſſe cenſetur; hinc a Hungaris hodienum, *Szekes Fejer Var*, a Germanis, Stul-Weiſſen-Burg/ a Saluis, Stolicny Belehrad/ dicitur. Ex rudi nummi iſtius cha-

ractere illud colligo, recentem eius vſum, regnante STEPHANO apud Hungaros eſſe debuiſſe, non ita pridem cum religione pagana, priſco illo alphabeto, exſulare iuſſo. Ceterum, de nummis S. Stephani lege Chronicon Thuroczii P. I. c. XXXI. p. m. 40. l. 36. Et faceret profecto pretium operæ, ſi quis Hiſtoriam Regum Hungariæ ex nummis illuſtraret. quamuis magnum is ſibi conflaturus eſſet, neque expediendum facile, negotium, eo quod argentea, antiquorum regum, moneta, rarior eſt, & vix in nummariis, etiam copioſiſſimis, obuia. Quod ad nummos aureos adtinet, res in vado eſt, ex his enim IACOBVS a MELLEN Lubecenſis, *Seriem Regum Hungariæ* confecit, eamque a LVDOVICO I. vsque ad LEOPOLDVM, adeoque continua regum octodecim, ſucceſſione egregia opera pertexuit. Sed redeundum ad propoſitum eſt.

§. VII.

Lapides nimirum, litteraturæ noſtræ teſtes, deſiderantur, quos nationes omnes, quæ litteris ſunt vſæ, Septentrionales potiſſimum, ſolent producere, ex quibus litteraturæ ſuæ Runicæ monumenta exſculpſit VORMIVS: vt nunc decantatas columnas *Sethi*, de quibus IOSEPHVS, omittamus. Equidem non inficior, gentium fere omnium primam fuiſſe papyrum, lapides, quibus, ſi vſus poſceret, characteres ſuos ſumma cum cura inſculpebant, cum ſera poſteritate locuturos, vt recte omnino cecinerit LVCANVS Lib. III.

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat, & ſaxis tantum volucresque feræque
Sculptaque ſeruabant magicas animalia linguas.

In primis vero iſtiusmodi obeliſcos ponebant, vt rerum feliciter varieque geſtarum, quædam apud poſteros exſtarent monimenta. Certe ARISTOTELES auctor eſt, Politic. Lib. VII. c. 2. tot numero obeliſcos circa bellicoſorum virorum tumulos figi ſolitos, quot hoſtes quisque interfeciſſet. Paria legas apud PLINIVM Lib. XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI. c. VIII. extr. IX. X. XI. AMMIANVM MARCELLINVM, Lib. XVII. c. VII. & TACITVM Lib. II. c. LX. quibus addi ex recentioribus poteſt OLAVS MAGNVS Hiſt. de Gent. Septentr. Lib. I. c. XVI. Verum enim vero, habeo & quod huic obiectiunculæ opponam. Hunni videlicet memoriam rerum præclare geſtarum, non obeliſcis, pyramidibus, & id genus molibus ac ſubſtructionibus; ſed caſtrorum atque vrbium, quas ſolo æquarunt, ruinis, ad poſteritatem transmittebant. Loquitur hanc ſiue virtutem eorum bellicam, ſiue inmanem crudelitatem, *Aquileia*, totius triennii obſidione, expugnata; *Reuenna* capta; *Argentoratum* disiectum, Gallia atque Italia infinitis cædibus fœdiſſime cruentata. quam Attilæ feritatem Argentinenſes memoria ſunt proſecuti, cum imaginem eius lapidi inciſam, in vertice portæ Coronæburgenſis, tamquam feralis incendii, triſte feraleque μνῆμα, collocarunt, adiecta ἐπιγραφῇ, ex Virgil. Aeneid. III. v. 490.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Idem ſcilicet ATTILAE ſua crudelitas, quod aliis obeliſci, perpetuitatis apud poſteros officium, præſtitit. Dignum eſt, quod hic legatur, ANTONII VVLPII Neocomenſis, quod ATTILAE ſcripſit, epitaphium:

Quid tot conſpiciens, viator! altum
Erecta ad tumulum tropæa, totque
Victorum exuuias ducum, vrbiumque
Tot cadauera, totque de ſubactis
Triumphos populis, ſtupes anhelus?
Rex ille ATTILA, numinum flagellum;
Tu noſti reliqua: heic iacet, viator!
Cerne, vt nunc etiam cinis ſuperbus
Spiret imperium, minas, furorem:
Hunc caſus niſi narium ſoluta

Vena;

Digitized by Google

Vena, dum thalamis, nouæque nuptæ
Indulget nimis, abſtuliſſet: orbis
Euerſus, titulos decusque, monſtro
Fatali, cumularet & tropæa.

Sed nec perſuaderi poſſum, defutura nobis eſſe huiusmodi etiam monumenta, ſi, quæ plutoniæ regiones defoſſa habent, erui, atque in lucem protrahi poſſent. Quid? quod Samaritanum alphabetum, pro cuius tamen primæua antiquitate pugnare nihil dubitant WALTONVS, CAPELLVS & alii, lapides habeat nullos, nullos vsquam obeliſcos, vt audacter TENZELIVS cum ſibi optet dari antiquarium, qui vel vnicum admodum lapidem, in quo Samaritanorum legerentur litteræ, poſſit indicare, *in Menſib. A. 1690. m. Martio. p. 280.* quis vero ideo negauerit, genuinum id gentis ſuæ, vtut primæuum negemus, alphabetum fuiſſe omnino? Illud tacendum haud eſt, quod in Achate, cuius icona menſi Martio A. 1690. præfixit laudatus iam TENZELIVS, deprehendi. facie is altera Iſidis formam exhibet, cum litterarum notis hucusque incognitis. altera ſiſtit duodecim ſigna Zodiaci. Characteres eius Phœnicum æmulari elementa, adſerit quidem Tenzelius, ſi cum illis orientalium nummis conferantur, quos Hottingerus in diſſertatione ſua, eiusdem argumenti p. 179. exhibet; ſed interpretari eos non audet, ſolemni illo prouerbio, *Dauus ſum, non Oedipus*, veniam ſibi deprecatus; præſtolaturus ſagaces eruditorum de eo coniecturas. qua quidem in re, an tentatum ſit aliquid, iuxta cum ignariſſimis ſcio: mihi certe, vtut meliori iure, *Dauum me, non Oedipum*, profitear, characteris huius, minimum parte eius inſigniori, haud dubia ex alphabeto Hunniaco ſubnata eſt interpretatio; quam tamen premam tantiſper, dum & pluribus rationibus ſententiam meam firmatam videro, & locus tempusque huic inſtituto magis fauerint. imaginem interim Achatis Tenzeliani heic adſculptam, vna cum characteribus, quam fieri potuit, curatiſſime expreſſis, exhibemus conſulto T. IV. n. IV. vt procliue ſit cum noſtris eos litteris conferentibus, in eandem mecum ſententiam concedere.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

Porro, ſilentium melioris notæ ſcriptorum de Hunno-Scythico charactere noſtro, obiicitur. mutum reuera præiudicium! Inſultat hic nobis, pro more ſuo, *Tröſterus*, quod *Opitzius* ille Hungarorum, ita *Molnárum* appellat, præfat. Gram. Hung. fateatur, numquam ſibi characteres iſtos viſos, ſed ne hominem quidem, qui eos viderit, notum, Dac. Nov. Ant. Lib. III. c. IV. p. 265. quæ verba *Molnári* noſtri, nondum monente *Tröſtero*, neque id ſine honoris præfatione ſupra dedimus. Quid tum vero? ſi litteratiſſimo alioquin viro, deque patria optime merito, non ita licuit eſſe felici. eo profecto audaciæ prouectus haud eſt, vt Hunnis ideo omnem litterarum gloriam denegaret; quod iniurioſe factitat *Tröſterus*: quin potius gentiles ſuos impenſius rogitat, vt eas, publici iuris, cum commentariis facere velint. quod iam, poſt totius interuallum ſeculi, ne preces optimi viri ſint irritæ, tandem præſtamus. Præterea ſi maxime ſileant ſcriptores, vel pernegent etiam, Hunnos litteras vnquam vſurpauiſſe, ſcriptoribus opponemus ſcriptores, atque hos haud forte minus idoneos, quam qui gloriam litteraturæ Hunnis confidenter negauerunt, confer Sect. II. § I.

§. IX.

Vix vero iſtud profligatum eſt præiudicium, cum aliud ſe nobis obiectat, quod neſcio quis, cum forte in ſchedas meas incidiſſet, tamquam Achillem quendam mihi opponebat: monſtroſos partim, partim rudes iſtos Hunnorum characteres eſſe; quod antiquitatem eorum, ſi non ſubuellat prorſus, certe nimium reddat ſuſpectam. Atqui ita ſi argutari pergas, *Hebræos*, *Samaritanos*, *Arabicos*, *Aethiopicos*, *Copticos*, *Armenicos*, *Sinenſes*, *Runicos*, & qui nunc Europæ cogniti eſſe cœperunt, *Malabaricos*, ex genuinorum numero expungas oportet. Ad me quidem quod adtinet, monſtra illa, in ſimplici noſtro charactere, deprehendi nondum. quæ, quod nonnemo videre ſibi viſus eſt, idem

ipſi eueniſſe adverto, quod ipſi mihi, antequam litteras orientalium noſſe, legere ac intelligere poteram, eueniſſe memini: putabam nimirum, non litteras, ſed magicas eſſe notas, aut illarum veſtigia auium, quæ

rimantur prata Cayſtri.

Ad rudes autem eorum ductus, quod adtinet, tantum abeſt, vt illi antiquitatem characteris ſubuellant, aut reddant ſuſpectam, vt pro ea potius militent. ſimpliciſſima enim quæque, multa arte compoſitis, antiquiora eſſe, cum ratio ipſa, tum experientia & artium incrementa, luculenter teſtantur.

§ X.

Speciosior longe Cl. FR. FÓRIS OTROKOCSI eſt obiectio, quam ſupra notauimus, neque hic ſilentio transmittendam putamus. *Characteres illi*, inquit, *mihi valde ſuſpecti ſunt, præſertim ex eo, quod vocales, quas ſeptem habemus, mixtim ibi inter conſonas recenſentur, ad inſtar Europæorum.* Orig. Parte I. c. VII. §. 23. p. 320. Meminiſſe vero debuiſſet Aethiopici atque Armeniaci alphabeti; iſtud enim conſonantibus admixtas; illud iisdem prorſus adnexas habet vocales. qua de re videantur harum Linguarum Grammatici. De Aethiopum vocalibus docet IOHANNES ERNESTVS GERHARDVS: *adfricantur ex parte hæ vocales ſuis conſonis, & ſolo ferme ſitu diſcriminantur, ex parte etiam ex decurtatione conſonantium enaſcuntur*, Gram. Harm. LL. OO. p. 17. 19. vt adeo ne hic quidem præſidii aliquid contra Alphabetum noſtrum ſuperſit In iſto cenſu ponendum eſt illud quoque dubium, quod mihi iſthæc ſcribenti, ſuggeritur: Diphthongis nullum in Alphabeto noſtro futurum fuiſſe locum, ſi id Hunni orienti ferrent acceptum; cum palam ſit, orientales linguas ignorare diphthongos. Largior id de Lingua *Hebræa*, qua de videſis diſputantem BVXTORFIVM Theſauro Gram. Hebr. Lib. I. c. IV. p. 21. ſeqq. neque idem negauerim de Lingua *Chaldaica*, ob inſignem cum Hebraica Analogiam, conf. iterum *Buxtorſius* Gram. Chald. & Syr. Sed nec de *Arabica* inficior, quæ Diphthongorum vice vocales ſimplices, & quidem *Fata*, loco *æ*, ſeu

ã vel

Digitized by Google

ā vel ū; & *Dama* loco *α*, ſeu ū vel *ou*, productas, adhibet, vide THOMAE ERPENII rudimenta L. Arab. L. I. p. m. 9. Admittit vero Diphthongos Lingua *Syriaca*, conf. OPITII Syriasm reſtit c. I. Sect. III. p. m. 8. admittit *Aethiopica*, vid. Gram. LVDOLFFI, & *Gerhardi* Gram. Harm. p. m. 17. admittit denique *Armeniaca*, vid. ANDR. ACOLVTHVS in Obadia Armeno p. 55.

§. XI.

Denique nec illum ſilentio prætervehi oportet nodum, quem nobis nectunt, qui litterarum multitudinem in Alphabeto Hunniaco, eius repugnare antiquitati, iactitant. *primi enim*, inquiunt, *characteres, pauci erant numero*, ad rudes vocum ſonos quomodocunque exprimendos, ſufficientes. poſtea, cum locupletari res, & cum his notiones quoque cœperunt multiplicari, neceſſe erat litteras etiam nouis ſubinde acceſſionibus adaugeri: hinc antiquiſſimarum Linguarum Alphabeta, paucioribus, puta XXII. elementis, abſoluuntur. Sed ſoluendo huic nodo, nil gladio Alexandri opus. ſufficit ſi dicamus, copioſos Hunnorum characteres, totius Linguæ copiam, & varios eius ſonos, cum ſingulari accuratione, arguere: quomodo & *Arabica* litteras numerat XXVIII. *Aethiopica* XXVI. *Armenica* XXXVIII. Et poterant ſane circa Scythicæ litteraturæ primordia, pauciora eius eſſe elementa, quæ demum creſcente lingua augeri quoque oportuit. quid? quod diverſa earundem litterarum pronuntiatio atque ſitus, diuersis quoque characterum formis, occaſionem præbuerit.

) o (

ipſi eueniſſe adverto, quod ipſi mihi, antequam litteras orientalium noſſe, legere ac intelligere poteram, eueniſſe memini: putabam nimirum, non litteras, ſed magicas eſſe notas, aut illarum veſtigia auium, quæ

rimantur prata Cayſtri.

Ad rudes autem eorum ductus, quod adtinet, tantum abeſt, vt illi antiquitatem characteris ſubuellant, aut reddant ſuſpectam, vt pro ea potius militent. ſimpliciſſima enim quæque, multa arte compoſitis, antiquiora eſſe, cum ratio ipſa, tum experientia & artium incrementa, luculenter teſtantur.

§ X.

Speciosior longe Cl. Fr. Fóris Otrokocsi eſt obiectio, quam ſupra notauimus, neque hic ſilentio transmittendam putamus. *Characteres illi*, inquit, *mibi valde ſuſpecti ſunt, præſertim ex eo, quod vocales, quas ſeptem habemus, mixtim ibi inter conſonas recenſentur, ad inſtar Europæorum.* Orig. Parte I. c. VII. §. 23. p. 320. Meminiſſe vero debuiſſet Aethiopici atque Armeniaci alphabeti; iſtud enim conſonantibus admixtas; illud iisdem prorſus adnexas habet vocales. qua de re videantur harum Linguarum Grammatici. De Aethiopum vocalibus docet Iohannes Ernestvs Gerhardvs: *adfricantur ex parte hæ vocales ſuis conſonis, & ſolo ferme ſitu diſcriminantur, ex parte etiam ex decurtatione conſonantium enaſcuntur*, Gram. Harm. LL. OO. p. 17. 19. vt adeo ne hic quidem præſidii aliquid contra Alphabetum noſtrum ſuperſit. In iſto cenſu ponendum eſt illud quoque dubium, quod mihi iſthæc ſcribenti, ſuggeritur: Diphthongis nullum in Alphabeto noſtro futurum fuiſſe locum, ſi id Hunni orienti ferrent acceptum; cum palam ſit, orientales linguas ignorare diphthongos. Largior id de Lingua *Hebræa*, qua de videſis diſputantem Bvxtorfivm Theſauro Gram. Hebr. Lib. I. c. IV. p. 21. ſeqq. neque idem negauerim de Lingua *Chaldaica*, ob inſignem cum Hebraica Analogiam, conf. iterum *Buxtorfius* Gram. Chald. & Syr. Sed nec de *Arabica* inficior, quæ Diphthongorum vice vocales ſimplices, & quidem *Fata*, loco *æ*, ſeu

ã vel

Digitized by Google

ā vel ñ; & *Dama* loco *α*, ſeu ῦ vel *ou*, productas, adhibet, vide THOMAE ERPENII rudimenta L. Arab. L. I. p. m. 9. Admittit vero Diphthongos Lingua *Syriaca*, conf. OPITII Syriasm reſtit c. I. Sect. III. p. m. 8. admittit *Aethiopica*, vid. Gram. LUDOLFFI, & *Gerhardi* Gram. Harm. p. m. 17. admittit denique *Armeniaca*, vid. ANDR. ACOLUTHUS in Obadia Armeno p. 55.

§. XI.

Deniquenec illum ſilentio præteruehi oportet nodum, quem nobis nectunt, qui litterarum multitudinem in Alphabeto Hunniaco, eius repugnare antiquitati, iactitant. *primi enim*, inquiunt, *characteres*, *pauci erant numero*, ad rudes vocum ſonos quomodocunque exprimendos, ſufficientes. poſtea, cum locupletari res, & cum his notiones quoque cœperunt multiplicari, neceſſe erat litteras etiam nouis ſubinde acceſſionibus adaugeri: hinc antiquiſſimarum Linguarum Alphabeta, paucioribus, puta XXII. elementis, abſoluuntur. Sed ſoluendo huic nodo, nil gladio Alexandri opus. ſufficit ſi dicamus, copioſos Hunnorum characteres, totius Linguæ copiam, & varios eius ſonos, cum ſingulari accuratione, arguere: quomodo & *Arabica* litteras numerat XXVIII. *Aethiopica* XXVI. *Armenica* XXXVIII. Et poterant ſane circa Scythicæ litteraturæ primordia, pauciora eius eſſe elementa, quæ demum creſcente lingua augeri quoque oportuit. quid? quod diverſa earundem litterarum pronuntiatio atque ſitus, diuersis quoque characterum formis, occaſionem præbuerit.

)o(

Digitized by Google

Sectio Quarta.

ΕΠΙΣΚΕΤΑΣΤΙΚΗ᾽

De Alphabeti Hunno-Scythici Scriptione, & facta Abrogatione.


Synopſis.

Exemplum lectionis in oratione Dominica exhibetur §. I.
Cur abrogatum ſit vetus iſtud Alphabetum? in cauſſas inquiritur §. II.
Alphabetum Hunno - Scythicum ſub Geyſa cœpit oblitterari. §. III.
Idem a ſecutis Regibus & Epiſcopis factum. §. IV.
Ad lectorem æquum allocutio, & clauſula. §. V.

§. I.

IGitur, disiectis, quæ caliginem Alphabeto noſtro poterant inducere, præiudiciis, & adſerta eius antiquitate, iuuabit nunc ſcriptionis & lectionis quoddam exemplar producere. quod, quia e manu ſcriptis codicibus, haud licuit decerpere, *Orationem Dominicam*, ex antiqua IOHANNIS SYLVESTRI, quam ſupra indicauimus, interpretatione, in litteras iſtas Hunno - Scythicas placuit referre, eamque iſtiusmodi litteris exaratam, chalcographi artificioſo ſtilo in æs curatius inciſam, curioſorum oculis heic in Tab. V. ſpectandam ſubiicere. Scriptionis modum, lectio ſequitur. illa quia eſt retrograda, hoc eſt a dextra ad ſiniſtram ſe porrigens, non poteſt non hæc quoque talis eſſe. Doleo, quod modum connectendi inuicem litteras, exhibere lectori nequeam, quæ ex libro manu exarato depromenda erat. neque enim dubito, quin & noſtrum iſtud alphabetum, vti orientalium nonnulla, *Arabicum* in primis & *Syriacum*, litteras habeat *Nexiles* & *Innexiles*. quarum tamen rationes eo vsque nobis erunt incognitæ, dum ex manuſcripto codice potuerint

Oratio Dominica, Litteris Hunniacis exarata.



Digitized by Google

rint detegi. Interim, compendia illa ſcribendi, quæ in quibusdam ſyllabis cum alphabeto exhibuimus, vbi locus erat, inſerui, quæ lector harum rerum curioſus, ex facili obſeruabit. Aliud lectionis ſpecimen, litteris expreſſum Hebraicis, dedit *Cl. Fr. Fóris Otrokócſi*. Orig. Hung. Parte I. c. VII. p. 315, quod iam nihil moramur.

§. II.

Ad cauſſas quod adtinet, quibus inducti Hungari priſcum iſtud ſcribendi genus migrauerunt, fateor, pauca, ac pene nulla huius rei apud ſcriptores rerum Hungaricarum veſtigia notari. vero tamen ſimillima eſt coniectura, quam *Tsétſius* Obſeru. Orthogr. p. I. §. 2. adfert: *Hungari, poſthabitis ſuis iam a multis ſeculis, quibus in Scythia, vnde olim egreſſi ſunt, vtebantur litteris, loco earum vtuntur latinis; ſicut multæ aliæ in Europa nationes. Hungari vt id facerent, contigiſſe arbitror ex Chriſtianismo pontificio, a ſe ſuſcepto, in deteſtationem gentilitiæ, cui erant addicti, religionis; alias impuliſſe variam rerum ſuarum mutationem, & coactiuam ſui ſub iugum Romanorum miſſionem, qui vt leges & mandata victis dabant, ita omnia lingua Latina, & litteris edita volebant.* Atque idem gentibus plerisque omnibus familiare fuiſſe deprehendas, vt Chriſti religione recepta, quidquid profanam ſuperſtitionem, ſaltem ad ſpeciem, vel redolere videbatur, vel alere, magna id conſenſione, quinimmo publicis, aut Regum, aut Pontificum, edictis, abrogarent. Certe Hornivs in præfatione, quam Boxhornii originibus præmiſit, de abrogatis litteris Runicis idem teſtatur: *hæ litteræ Runicæ in Suecia vsque ad A. C. 1000. obtinuerunt, & tum demum ab Olao Rege, ſuaſu Sylueſtri Papæ Romani, in publicis regni comitiis abrogatæ, omnesque libri illius ſcripti, quo idololatriæ præcepta continerent, combuſti ſunt.* Quis non credat idem Hunniaco huic alphabeto, & libris eodem exaratis, ſub idem fere tempus, poſt admiſſam in Hungaria fidem Chriſti, euenire potuiſſe; in primis, ſi cogitauerit, quanto feruore Geysa Dux, &

 huius

huius filius, S. STEPHANVS, impietati Ethnicæ, fuerint obniſi, quantaque cura a ſuis auerruncarint omnia, quæ priſtinæ impietati reuocandæ, minimum reprimendæ in memoriam, occaſionem quiuiſſent præbere. id ſane liquido conſtabit, decreta S. STEPHANI, ANDREAE I. S. LADISLAI, quin & COLOMANNI, curatius euoluenti. Quod autem nulla huius rei apud ſcriptores occurrit mentio, incuriæ illud, atque paucitati eruditorum, in Hungaria, tribuendum, qua factum eſt, vt res pleræque, momentum profecto trahentes, vel interciderint penitus, vel tractatæ leuius, in dubio ſint poſitæ.

§. III.

Plane ergo exiſtimo, abrogato idolorum cultu, ſimul & litteras auitas fuiſſe abrogatas. atque huius rei initia eueniſſe puto, temporibus GEYSAE Ducis, qui, quam laudabili in introducendis Chriſtianorum ſacris cura, diligentia, atque animi contentione ſit verſatus, *Bonfinius* Dec. I. Lib. X. p. m. 163. ſeqq. pro more ſuo, hoc eſt, prolixe & ſcite, deſcribit. Hanc demum patris pietatem, non minori ſtudio, certe auctoritate atque ſucceſſu ampliori, expreſſit S. STEPHANVS. qui & faſtidiri cœpta gentilicia *Attilæ* inſignia, vid. *Bonfinium* Dec. I. Lib. III. p. m. 52. cum ſigno crucis, tamquam Chriſtianiſmi teſſera, permutauit, cum deuictis vndique hoſtibus, totum ſe religionis ſtudiis conſecrauiſſet. *Hac eius pietate motus Pontifex*, verba ſunt CASPARIS ENS Rerum Hung. Lib. II. p. m. 40. *arma eius*, (*hactenus enim Attilæ gentilitia inſignia, aquilam ſcilicet coronatam, ipſe & maiores vſurpauerant*) *aurea corona & duplici cruce, dignitatis & religionis indicibus, cohoneſtauit.* Tunc vero & litteras gentilitias abrogari pronum, immo neceſſum fuit. niſi forte quis, iam tum CAROLI M. temporibus, cum is Hunno-Auares A. C. 803. bello ſuperaſſet, &, ſcholis conſtitutis, ad Chriſti fidem traducere fuiſſet adniſus, Alphabetum quoque abrogari cœptum, velit exiſtimare.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Neque remiſſior ſecutorum Regum in adſtruendis cerimoniis, quæ ad Chriſtianam religionem videbantur pertinere, exſtitit induſtria. Certe ANDREAS I. edicto ſanciuerat, ne quis ritu pagano cerimonias Scythicas (ad quas merito retulero litteras, quippe miniſtras religionis) exercere ſuſtineret. Videſis *Bonfinium* Dec. II. Lib. II. p. 197. *Caſp. Ens* rerum Hung. Lib. II. p. 46. Accedebat familiarius iam tum cum gentibus cultioribus, Italis cum primis, commercium: quo fiebat, vt in eorum quaſi mores & conſuetudinem, vltro concederent Hungari. Cœnobiorum præterea alumni, quæ ea tempeſtate ſola litterarum quædam velut domicilia eſſe credebantur, non ſacra modo, ſed reliqua etiam omnia, latine peragere, loqui, ſcribere, Epiſcoporum legibus tenebantur. Exſtat hanc in rem ſanctio in capitulis ſynodalibus, LAVRENTII *Archiepiſcopi Strigonienſis*, titulo, de locutionibus clericorum: *vt Canonici in clauſtro, & Capellani in curia, litteratorie*, h. e. latine, *loquantur*. & mox: *nullus aliquid de ritu gentilitatis obſeruet: qui vero fecerit, ſi de maioribus eſt, quadraginta dies diſtincte pœniteat; ſi autem de minoribus, ſeptem dies cum plagis pœniteat.*

§. V.

Atque iſta, de *Litteratura Hunno-Scythica*, hac vice ſufficiant. an eam reuocaturi denuo, atque iure poſtliminii, ciuitate donaturi ſint populares noſtri, euentui committimus. nobis in eam indagauiſſe, volupe fuit, & patriæ forte non indecorum. quod opellæ etiam noſtræ præmium fuerit ſufficientiſſimum. Igitur finem commentationi huic faciam, ſi Lectorem, qui, vt æquus mihi contingat, optarim ſane, amiciſſime prius rogatum habuero, vti exercitationem hanc noſtram, in meliorem partem vertat, neque, ſi a ſua ſententia diſſidere aduerterit, ſtomachum ſibi cieri patiatur. Diſſentiendi libertas cuique libera eſto, modo mihi, quod ſentio, ſine obtrectatione, promere liceat. Non hic in mathematica quadam

Digitized by Google

dam demonſtrationis euidentia ſum verſatus, ſed in philologiæ ſtudio, lubrico illo quidem, & parte ſui maxima, coniecturali, vbi non facile aberratio exprobranda cuiquam eſt, vtut indicari poſſit omnino, debeatque. Stadium iſtud ante me emenſus eſt nemo; merebor ergo veniam, ſi forte aberraui, eo facilius, quo eſt procliuius, ſine duce deuiare. quod ſi fecerint viri eruditi, (ſciolorum enim cenſuras quis moretur:) calcar mihi ſubdi credam, ad propoſiti operis partes reliquas, bono cum Deo, alacriter proſequendas.

FINIS.

HAG 2010967

Digitized by Google